De Sacramento confeſſionis, ſeu pænitentiæ, hiſtoria,

ex ueteribus ſanctis patribus collecta, per quam contra hæreticos Lutheranos copioſe oſtenditur, ſacramentalem confeſſionē ab ipſo Chriſto inſtitutam eſſe, et in eccleſiæ catholicæ uſu uſque ad noſtra tempora ſemper obſeruatam.

De antiquis pænitētiis utilis libellus, e ueteribus ſāctis patribus accurate cōtextus.

Mariano Victorio Reatino auctore.

ROMAE, M. D. LXII.
Apud Paulum Manutium, Aldi F.
CVM PRIVILEGIO.

Exemplum priuilegii.

MOTV proprio &c. Cum nuper ad huius almæ Vrbis ornamentum, & publicam ſtudioſorum omnium utilitatem noſtro iuſſu inſtituta in hac Vrbe fuerit officina librorum pulcherrimis characteribus, & ſumma cum diligentia imprimendorum, præſertim ſacrorum, eccleſiaſticorumque ſcriptorum, accerſito Venetiis, & huic negotio præpoſito dilecto filio Paulo Manutio, cum eruditiſſimo uiro, tum paternæ in hac arte laudis, & induſtriæ imitatore, prouidere, ſicut æquum eſt, volentes, ne eius labor, & induſtria, quæ fructum aliis allatura eſt, ipſi uni detrimentum afferat; quod eueuturum eſſet, ſi libros eius diligentia, & cura non ſine magnis ſumptibus emendatos, & impreſſos, atque editos, alii poſtea imprimerent, atque ederent, minore forſitan etiam adhibita diligentia: Vniuerſis, & ſingulis librorum impreſſoribus, & bibliopolis tam extra, quàm intra Italiam, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, noſtræ uero, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ temporali ditioni immediate, mediateue ſubiectis, etiam ſub pœna quingentorum ducatorum auri fiſco noſtro applicandorum, & amiſſionis librorum ipſo facto, etiam ſine declaratione cuiuſquam Iudicis incurrendis, inhibemus & interdicimus, ne quis ullum ex libris aut eccleſiaſticorum ſcriptorum, aut cuiuſcunque generis, qui aut nunquam ante editi fuerint, aut quos ipſe Paulus primus, ſublatis mendis, correxerit, declararit ue, ſeu corrigendos, declarandosue curarit, ſiue illi Græci, Latini, linguaue Italica communi, ſiue e Græco ſermone in Latinum, Italicumue conuerſi, imprimere, uel ab aliis impreſſum uendere, aut uenalem proponere, & habere audeat per annos quinque, ab eo tempore, quo Paulus eum ediderit, computandos: Mandantes dilectis filiis noſtris Camerario, & Vicario Vrbis, necnon Gubernatori, Senatori, Cameræ Apoſtolicæ cauſarum Auditori, & aliis Vrbis ordinariis Iudicibus, Legatisque, Vicelegatis, Gubernatoribus, & Poteſtatibus terrarum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, Baricellisque, & executoribus earundem, ac uenerabilibus fratribus ſingularum extra terras prædictas ciuitatum Archiepiſcopis, & Epiſcopis, eorumque Vicariis, ut quoties ipſius Pauli nomine requiſiti fuerint, ei efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, præmiſſa omnia, & ſingula contra inobedientes, & contrauenientes ad executionem cenſurarum, & pœnarum prædictarum omni, & quacunque appellatione remota, procedant & quilibet eorum procedat, inuocato etiam

 ſi opus

ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Quia uero difficile eſſet hanc noſtram cedulam originalem ad ſingula loca deferri: Volumus quod de eius tenore, quod ad prohibitionem noſtram huiuſmodi attinet, credi debeat exemplis in ipſis libris imprimendis, ſeu etiam non inſerto tenore, narratis: ita quod ſola narratio, ſeu enunciatio in ipſis libris, ut moris eſt, facienda ad effectum, ut contra inobedientes, ut præfertur, procedi poſſit, ſufficiat. Et maioris efficaciæ cauſa uolumus ut originalis ipſa cedula per Curſores noſtros hic in Vrbe in locis conſuetis, ut moris eſt, affigatur, & publicetur; ne quiſquam ignorantiam eius ualeat allegare: Decernentes irritum, & inane quidquid ſecus fieri contigerit: Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, priuilegiis quoque, & indultis quibuscunque aliis ſuper imprimendorum librorum facultate forſan conceſſis, & innouatis, ceteriſque in contrariũ facientibus quibuſcunq;.

Placet motu proprio.

PIO IIII. PONTIFICI OPT. MAX.

MARIANVS VICTORIVS REATINVS IVRISCONSVLTVS.

DIV, multumque cogitanti mihi, Sanctiſſime pater, qua uia miſeris his noſtris temporibus afflictæ iam, ac propemodum deploratæ catholicæ Chriſtianæ religioni ſuccurri, ac ſubueniri poſſet, cum multæ ſedulo ueſtiganti in animum occurriſſent, nullam tamẽ breuiorem certioremq; aduerſus inſurgẽtes nouos hæreticos reperiri poſſe exiſtimaui, quàm illos non argumentis, ac diſputationibus tantum, hominum ingeniis inuentis, atque diſpoſitis, ut adhuc factum eſt, ſed præcipue uetuſtate ipſa, doctrinaq; à Chriſto, & ab Apoſtolis ipſis ad noſtra uſque tempora repetita, conuincere, ac confutare. uera autem eſſe, quæ dicimus, conſtat ex eorum ſcriptis, in

quibus nihil aliud quærunt, nec aliò unquam reſpiciunt, quàm imperitis, ac in lectione Sanctorum ueterum minime exercitatis hominibus imponere, ac perſuadere, ea, quæ ipſi docent, a Chriſto primum, deinde ab Apoſtolis ipſis accepta, noſtram autẽ doctrinam, quam per Apoſtolicam Sedem, cui tu nunc Beatiſſime Pater ſancte, ac honorifice præes, habemus, nouam, ac propterea commenticiam eſſe, ex ipſo ſcholaſticorum, ut blaſphemant, fonte, annis abhinc paulo amplius trecentis prodiiſſe. hoc gladio Eccleſiam omnem traiicere, his dolis animas in interitum trahere, his artibus miſeros, ac infelices Chriſtianos decipere conantur. ſubtrahunt enim ſe quotidie a nobis eo omnes prætextu, quòd certiorem ſe, ac uetuſtiorem ex ipſo, ut falſo iactant, expreſſo Dei uerbo ductam ſalutis doctrinam, ab his nouis hominibus, quàm ab Epiſcopis & presbyteris accepiſſe ſe dicunt. Quæ omnia cum falſa ſint, ac ſole clarius

rius

rius a ueritate ipſa diſcedant, nullũq; adhuc quo tanto morbo plene ſubueniretur, inuentum remedium ſit, pretium operæ facturum me eſſe exiſtimaui, ſi a ueteribus, ætatum, ac prouinciarum omnium, orthodoxis patribus, ueluti coacto ex eis œcumenico quodam ad hanc rem concilio, acceptis, propriis ipſorum uerbis, ſententiis, contra hos adlatrantes hæreticos oſtenderem, diuinam, & ab ipſo Chriſto ad nos uſque manantem, doctrinam eſſe, qua hodie Romana Eccleſia utitur, quaque ſemper etiam uſa eſt, cum ei in Petro promiſſum fuerit, defuturam nunquam eſſe illius fidem, nec portas inferi aduerſus eã unquam præualituras, ſed ab ea potius, ueluti omnium matre, ceteras in fide cõfirmandas fore Eccleſias. incipiens igitur a ſacramentis, quibus ueluti ſeptem ualidis, firmisque columnis, Sapientiæ ipſius domus, hoc eſt Eccleſia ipſa Chriſti firmata eſt, omnem eorum hiſtoriã a Chriſto primum, mox

 a uete-

a ueteribus ipſis orthodoxis patribus acceptam, in unam ueluti ſacræ religionis catenam contextam, cōpoſui. Vſus ſum autem hac in re ideo non meis, ſed ipſorum ueterum patrū uerbis, atque ſententiis, ut non diſputationibus, quibus facile a uerſutis hominibus uerſuta etiam tergiuerſatione reſpondetur, niſi ubi tantum erat opus, ſed antiquitate ipſa, contradicentes hæreticos confutarem. Quid enim certius, ac ualidius hoc tã deplorato æuo, male perſuaſis, deceptisque hominibus, ad confutandos eorum errores, poni ante oculos poteſt, quàm ipſum Dei uerbum, orthodoxorum omnium ætatum ac locorum patrum auctoritate expoſitum, atque enucleatum? præſertim cum conſtet apud omnes, eos non minus doctrinæ puritate, quàm probitate uitæ amicos Dei, & fideles Chriſti fuiſſe miniſtros, plurimique eorum religionē noſtrã, effuſo etiam pro ea ſanguine, propagarint? In capita uero ideo opus

ipſum

ipſum partitus ſum, ut Catholici habere ipſi etiã poſſint, unde ſingulis in dubiis erudiantur. Quot autem quantosque hac in re labores ipſe pertulerim, illorum iudicium ſit, quibus experimento cognitum eſt, quantũ operæ, ac ſtudii, quantumque temporis, & aſſiduitatis requireretur, ut ab uno tantum homine, multis humanis auxiliis deſtituto, omnis ferme tam græcorum, quàm latinorum antiquitas ueſtigari, legi, ac uerſari potuerit. Decreueram autẽ hanc ſacramentorum hiſtoriam una omnem editione promulgare: uerum dum ad operis abſolutionem nauiter incumbo, ac ſemper aliqua noua, quæ iam inuentis auctoritatibus addam, ſedula lectione perquiro, propterea que editionem ipſam libenter etiam remoror, ampliſſimus præſul Ioannes Moronus Cardinalis, patronus meus, apud quem pro ſua immenſa benignitate familiariter hoſpitor, rogauit me, ut aliquid ſibi ex laboribus noſtris, quos quotidie aduer-

aduerſus hæreticos elucubramus, legendum oſtenderem. quod cum me facturum pollicitus eſſem, forte euenit, ut tunc hoc confeſſionis, & antiquarum pænitentiarum opus præ manibus haberem: tradidi, legit, laudauit. indeque propter catholicæ religionis ardentiſſimum amorem, quo erga Chriſtianam pietatem, & ſinceram fidei ueritatem mirifice affectus, hæreticam prauitatem ſemper eſt auerſatus, ut ex legationibus eius Germanicis, & omni uita, doctrinaque, multis etiam examinationibus approbata clariſſime conſtat, uerſus ad preces, adhortari cœpit ut ederem. Ego dilationis cauſas ſubnectebã multas, quarum illa præcipua obtẽdebatur, quòd totum ſacramentorũ opus abſolutum a me non erat, partemque tantum in lucem edere parum decere uidebatur. uicerunt tandem illius preces. quis enim ego eram, qui homini de catholica religione optime merito, tot honoribus, ac dignitatibus præclariſſime

me functo, patroni mei Reginaldi Poli Cardinalis, uiri nunquam ſatis laudati, ac mei etiã amantiſſimo cõtradicerem? præſertim, cum ipſius ope, & beneficentia eiuſdemq; in ædibus hiſtoria hæc cõfeſſionis extremam a me ſuſceperit manum, & eius editio ad publicam pertinere utilitatem uideretur. cõſenſi autem eo libentius, quòd infelicibus his noſtris tẽporibus, magis omnium hoc ſacramentum non ſolum ab hæreticis oppugnari, uerum etiam a prauis, ac ſceleſtis hominibus, qui dedecori ſibi futurum putant, quòd occulta ſua, ac inhoneſta facinora cuiquam pateſiant, diſcerpi, irriderique animaduerterim, cognouerimque hac in re eo periculoſius magisque noxium, ac damnoſum eſſe, ſi huius ſalutaris, diuinæque inſtitutionis medela deſereretur, quo crimina maiora, crebrioraque hac ætate, amplius forſitan quàm unquam antea nõ ſolũ perpetrantur, ſed ſæpius dimiſſa, ſæpius etiam ab eiſdem numeroſius,

ac periculoſius repetuntur. Ecquiſnã profecto inter homines eſt, qui tam ſancte, caſteque uitam traducere poſſit, ut non multis quotidie irrepentibus uitiis maculetur? quis eſt in appetendo, decernendo, loquendo, agendoque tam cautus, ut a recta interdum uiuendi regula non decidat, ac labatur? Nos ipſos, inquit Ioannes Apoſtolus, ſeducimus, & ueritas in nobis non eſt, ſi dixerimus quòd peccatum non habemus. Si autem multis peccatis, ſceleribusque homines inficiuntur, quæ illorum poteſt eſſe ſalus, cum remedium pro abolendis facinoribus, diuine a Chriſto nobis poſt baptiſmi lauacrum relictum, omittatur, contemnaturque? neceſſarium certe ab eius inſtitutione ſemper fuit hoc ſacramentum, cum ſit altera, ut recte omnes uocant, ſalutis tabula; uerum hodie tanto magis eſt neceſſarium, quanto plura, ac maiora hodie quàm antea ſcelera cõmittuntur. Tui igitur Pie IIII. Pontifex Maxime nominis

maieſtate

maieſtate, ac ſplendore ſuffultũ opus prodit in uulgus. cui enim alteri dicarem illud, quàm ſummo in Eccleſia Chriſti, pientiſſimoque Paſtori, cui in Apoſtolo Petro diuina hæc, quam modo defendimus auctoritas tradita eſt? cuius tanta humanitas, tanta eſt rerũ omnium benignitas, tanta erga uniuerſam Chriſtianam Remp. conſeruandam, augendamque cura, & diligentia; ut nihil ab eo, quod pro ſalute omnium ſit, relinquatur intactum. utinam omnes Chriſtianorum Principes cunctique Eccleſiæ proceres, ad conſeruandũ, propagandumque fidelium gregẽ, ita ut tu Paſtor optimus maximus facis, uigilarent, illudque Homericum cordi affixum ſemper tenerent:

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,

ᾧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε.

profecto nec tot hæreſes quotidie creſcentes, neque tot, tantasque morum deprauationes, ita, ut nunc cum ſuſpi

riis,

riis, & doloribus facimus, plorare-
mus. Ecquid autem eſt, quod in iuuanda, ornandaq; Chriſtiana Repu. fieri poteſt, quod a te ſummo cum impendio, maximisque animi, corporisque laboribus abunde, cumulateq; non præſtetur? Tua opera generale hodie ad profligandas hæreſes undique ex Eccleſia congregatum, concilium fit. tua cura ad priſtinã, ſanctioremq; uiuendi regulam omnes, qui ab ea deſciuerant, conformantur fideles. tuis ſumptibus, tua pietate Religio reſtituitur, urbs Roma non minus bonorum inſtitutionibus morum, quàm ædificiorum ſplendoribus illuſtratur, eruditi ſuſtentãtur: ſcientia omniũ generum, ſacra præſertim, fouetur: hæretici profligãtur: ſacrarũ litterarũ libri, e tenebris eruti, præclariſſimis Aldinis typis impreſſi in lucẽ prodeunt. et, ut breui multa concludam, nihil eſt hodie in catholica Eccleſia, quod uel ob morum deprauationẽ, uel propter orthodoxæ fidei ſuſtentationem, propagatio-

pagationemq; opera tua indigeat, in quo tu illam affatim,cumulateque nõ præſtes. Suſcipe igitur pro tua pietate, hilari fronte, hoc quodcunque ſit opus: idque ex affectu tradentis, non ex ſcribentis ingenio, aut doctrina metire: quando Chriſtus, cuius tu locum in terris merito tenes, pauperem uiduam duo tantum æra in gazophylacium mittentem,non propter donatarum rerum copiam, ſed propter animi magnitudinem,ceteris, qui maiora dederant, præferens commendauit. Interea reliquam ſacramentorum hiſtoriam ea, qua potero ſedulitate, diligentiaque abſoluam. Qua in re eo libentius laborabo, quo me in hac uel Sanctitati tuæ aliqua ex parte feciſſe ſatis, uel catholicæ Eccleſiæ utilitatis aliquid attuliſſe, magis cõperero.

Auctores, ex quibus hoc confeſſionis opus collectum & probatum eſt.

Matthæus apoſtolus, & euangeliſta uiuebat anno Domini XXXV.
Marcus euangeliſta XXXIX.
Lucas euangeliſta XL.
Ioannes apoſtolus, & euangeliſta LV.
Paulus apoſtolus LVIII.
Apoſtoli omnes. eorum de hac re canon citatur a Nicena ſecunda generali synodo.
Dionyſius Areopagita, Pauli apoſtoli diſcipulus, qui paſſus eſt anno Chriſti nati XCVI.
Clemens Papa martyr, Petri apoſtoli diſcipulus. eius autem epiſtola ad Iacobum fratrem Domini a Rufino Aquileienſi uerſa, & a D. Hieronymo non reiecta, citatur ab omnibus ueterum decretorum collectoribus, Iuone, Burchardo, Gratiano, recipiturque ab Iſidoro, & Petro Damiano, & quod amplius eſt, ab Anacleto, Euariſto, Alexandro, & Fabiano,

martyribus, ſummiſque Pontificibus, propriis ex ea uerbis etiam erutis. hic paſſus eſt tertio Traiani anno, a Chriſto nato CIII.

Alexander Papa martyr floruit ſub Adriano CXXII.

Irenæus Lugdunenſis epiſcopus, qui Polycarpum Ioannis euangeliſtæ diſcipulum audiuit, floruit ſub M. Antonino CLXXV.

Tertullianus Afer, quem ſuum præceptorem D. Cyprianus uocabat, claruit ſub Seuero & Antonino Caracalla CLXXX.

Vrbanus Papa martyr ſub Aurelio Antonino CCXXX.

Pontianus Papa martyr CCXXXIII.

Fabianus Papa martyr ſub Philippis & Decio CCLI.

Cyprianus epiſcopus martyr ſub Valeriano CCLVI.

Origenes floruit ſub Seuero Pertinace & Alexandro Mammeæ, obiit ſub Valeriano & Galieno CCLXI.

Eutichianus Papa martyr ſub eodem Valeriano CCLXVI.

Euſebius Cæſarienſis ſub Cōſtantino Magno, cui etiam amiciſſimus

mus fuit,	CCCXX.
Iulius Papa primus	CCCXL.
Athanaſius patriarcha Alexandrinus, Iulio synchronus, qui obiit ſub Valẽtiniano & Valẽte	CCCLXXIX.
Baſilius Magnus claruit ſub iiſdẽ	CCCLXXX.
Effrem Syrus Baſilii amicus obiit circa eundem annum calendis Februarii in Edeſſa.	
Gregorius Thaumaturgos circa hæc eadem tempora. eius uitã, & miracula Gregorius Nyſſenus conſcripſit.	
Gregorius Nazanzenus diui Hieronymi præceptor,	CCCLXXXI.
Damaſus Papa floruit ſub Valentiniano & Valente	CCCLXXXII.
Ambroſius Mediolanenſis epiſcopus ſub Theodoſio	CCCLXXXVIII.
Epiphanius, Cypri Salaminæ epiſcopus, ſub Theodoſio	CCCXC.
Eſichius Gregorii Nazanzeni diſcipulus claruit ſub Arcadio & Honorio	CCCC.
Innocentius primus Papa	CCCCVIII.
Ioannes Chryſoſtomus patriarcha Conſtantinopolitanus	CCCCXI.
Carthaginienſis tertia synodus	CCCCXVII.
Hieronymus Stridonenſis presbyter	

ter

ter ſub Honorio & Theodoſio ccccxx.
Philippus presbyter, D. Hierony mi diſcipulus, ſub Theodoſio & Valentiniano floruit ccccxxx.
Auguſtinus Hipponenſis epiſcopus, qui obiit ccccxxx.
Victor Afer, Vticenſis epiſcopus, Auguſtino coæuus, ſcripſit ſub Genſerico Vandalo Africam deuaſtante, ccccxxxi.
Africana synodus in hæc forte tempora reponenda.
Paulinus Nolæ epiſcopus, Ambroſii & Auguſtini diſcipulus, ccccxxxii
Cyrillus Alexandriæ patriarcha, ſub Theodoſio minore, cdxxxiii.
Agathenſis synodus ſub Cæleſtino primo celebrata, anno cdxxxiii.
Socrates hiſtoriographus, ſub Theodoſio iuniore, ccccxxx v
Sozomenus hiſtoriographus, Socrati coæuus.
Carthaginienſis quarta synodus celebrata eſt anno ccccxxxvi
Theodoretus Cyrillo contemporaneus ſub Theodoſio minore cdxxxviii
Eucherius Lugdunenſis epiſcopus ſub eodem, ccccxl.
Leo primus Papa, cognomento

Ter-

Termagnus, obiit ſub Leone,	CCCCLXI.
Proſper Aquitanicus obiit	CCCCLXVI.
Epaonenſis synodus ſub Gelaſio	CDXCVIII.
Petrus Rauennæ epiſcopus uiuebat, ipſomet teſte, anno Domini	D.
Gildas Badonius Britannus, cognomento Sapiens,	DII.
Symmachus Papa	DX.
Aurelianenſis synodus	DL.
Nicephorus carthophylax	DLX.
Gregorius Magnus Papa obiit ſecundo anno Phocæ,	DCV.
Theodorus Græcus, archiepiſcopus Cantuarienſis, obiit auctore Beda	DCXC.
Beda presbyter Britannus, cognomento Venerabilis, obiit	DCCXXXII.
Carolus Magnus in executione synodalium decretorũ floruit	DCCCX
Aquisgranenſis synodus, cui Carolus Magnus interfuit.	
Cabilonenſis synodus ſub eodem celebrata, licet alii in Eugenii primi tempora, longe antea reiiciant.	
Moguntina synodus ſub eodem Carolo, anno uidelicet a Chriſto nato	DCCCXIII.

Rhemenſis ſynodus ſub eodem
Carolo.
Synodus quædã uetus ſine nomine a Burchardo citata, in hæc forte tempora reponi debet.
Angelomus monachus Lexouienſis ſub Ludouico & Lothario DCCCXXX.
Anſegiſus abbas Leobienſis, qui epiſcopalium ſynodorum decreta, ſub Pipino, Carolo Magno, Ludouico, & Lothario acta, in quinque libros collegit, claruit Anſegiſus ſub Lothario DCCCXL.
Theodulphus Aurelianus epiſcopus iiſdem temporibus DCCCXLI.
Rabanus Maurus, moritur anno Domini DCCCLV.
Triburienſis ſynodus, quæ celebrata eſt DCCCXCV
Burchardus VVormatienſis epiſcopus ſub Henrico MXX.
VVormatien. ſynodus in hæc tẽpora reponenda ſub Arribone epiſcopo, & Burchardo.
Vrbanus Papa ſecundus MLXXXIX.
Hugo de ſancto Victore ſub Henrico quinto MCXX
Innocentius ſecundus Lotharii tempore

tempore,	MCXXXV.
Bernardus abbas Clareuallenſis	MCXL.
Richardus de ſancto Victore ſub Conrado tertio	MCXLII
Petrus Bleſenſis Anglus D. Thomæ Cantuarien. amicus	MCLX.
Innocentius tertius Papa	MCC.
Latheranen. generalis synodus ſub eo celebrata, anno	MCCXV
Thomas Aquinas, omnium theologorum doctiſſimus,	MCCLXX.

Argumentum operis.

Cap. 1. CONTRITIO *prima pænitentiæ pars eſt, definiturque iuſtus de perpetratis peccatis conceptus dolor. comites eius ſunt ſpiritus tribulatio, & humilitas: eamque præcedunt perturbatio, tremor, erubeſcentia, confuſio, & animi immutatio. uocatur contritio alio nomine cordis compunctio, eaque integra eſſe debet. ſufficit autem ipſa ſola cum ſacramenti confeſſionis uoto, quando ſacramentũ ipſum haberi nequit.*
C. 2. *Altera pænitentiæ pars confeſſio eſt, appellaturque a Græcis exhomologeſis: alij pænitentiam uocant: multi abſolutionem, reconciliationem, & manus impoſitionem.*
C. 3. *Inſtituta autem eſt a Chriſto, cum claues, & ligandi, ſoluendique poteſtatem, ſeu dimittendi, retinendique peccata facultatem apoſtolis eſt elargitus.*
C. 4. *Neceſſaria eſt autem poſt baptiſmum omnibus peccatoribus, qui immaculatam Chriſti tunicam, quam in ſacro lauacro acceperunt, ſcelerum, et facinorum maculis conſpurcarunt. cogi autem ad agendam pænitentiam peccator poteſt, ubi eius crimen innotuit. adeo autem neceſſaria confeſſio eſt, ut ſine ea, uel eius uoto, quis grauium peccatorum remiſſionem non aſſequatur. uotum uero tunc ſufficit, cum non religionis contemptus, ſed neceſſitatis articulus cõfeſſionem excludit.*
C. 5. *Vtilis eſt confeſſio propter erubeſcentiæ bonum, remiſſionem peccatorum, pœnæ abolitionem, mentis ſerenitatem*

tatem, gratiæ recuperationem, macularum animæ ablutionem, demum propter conſilium pœnitendi, et a ſceleribus abſtinendi, quod quis a ſacerdote hoc in ſacramento accipit. Non poteſt ſacram quis eu C. 6.
chariſtiam ſumere, niſi prius peccatorum ſuorum exhomologeſim ſacerdoti fecerit: nec ſtatim poſt exhomologeſim pœnitentia nondum peracta eam ſumere debet. Ligandi ſoluendiue poteſtas ad epiſcopos C. 7.
tantum pertinet, & ſacerdotes, non ad quemlibet e uulgo, aut inferioris ordinis clericos: uerum tamen eſt, quòd olim inconſulto epiſcopo niſi in neceſſitatis caſu ſacerdotes pœnitentes nō reconciliabant: quæ prima epiſcopalium, ut uocant, caſuum origo eſt: mox etiam monachis cōmunicata facultas fuit. ſpectat autem ad eum qui confeſſiones audit, ut ſit uitæ inculpatæ, probatæque doctrinæ; ut peccatores ad lacrymas gemitusque impellat; pœnitentes hilare recipiat; benigneque amplectatur; magisq; ad miſericordiam quàm ad iuſtitiā uergat. ad peragendam autem cōfeſſionem tenentur omnes qui rationis compotes ad diſcretionis annos peruenerunt: illamque per ſe ipſum quis, non per nuncium, aut epiſtolam facere debet. Cōfitendi tempus olim qua C. 8.
drageſimæ initium erat, reconciliationis uero dies quintus ante paſcha: nunc neceſſe eſt ut peccator ante paſcha ſemel ſaltem in anno exhomologeſim faciat, & in die paſchæ ſacram euchariſtiam ſumat. quæ uero in extremo uitæ fit pœnitentia, licet ſuam ſalutis habeat ſpem, nō tamen habet æque certam,

certam, ſicut illa quæ ſanitatis tempore fit. relaxantur autẽ tunc omnes pænitentiæ leges, omniſq; etiam abſoluitur pænitens, ne ſine uiatico diſcedat e
C. 9. *uita. Fieri debet confeſſio proprio parocho, non alieno, niſi in neceſſitatis caſu & ex priuilegio. pro-*
C. 10. *pterea monachi abbati illam faciunt. Tenetur autem quis confiteri omnia ſcelera grauia, quæ mortalia uocamus, etiam occulta, eaque ſpeciatim, & ad aures unius ſacerdotis, non plurium, confeſſionem diuidendo, una cum cauſis & circumſtantijs. ſalubre autem eſt ſacerdotibus pandere etiam leuia, et animi cogitationes. uulgata crimina deferri olim ad epiſcopum ſolebant, tam per laycos, quàm etiam per clericos: idque fiebat, ut per pænitentiam emendarentur. Quæ uero ſecreta ſunt, prodi in uulgus neque libellis, neque alio modo debent. enarranda ſunt autem crimina ſpeciatim, non generatim, & confuſe, item magna cũ humilitate, ſuique ipſius*
C. 11. *accuſatione, &, ſi fieri poteſt, genibus flexis. Reuelari a ſacerdote peccatum in confeſſione perceptũ nullo modo poteſt, &, ſi fiat, nulla ei adhibetur fi-*
C. 12. *des. Claues Eccleſiæ tres præcipue ſunt, ſcientiæ, ordinis, & iuriſdictionis, omneſque hoc in ſa-*
C. 13. *cramento requiruntur. Abſoluit peccatorem intus a Deo reſuſcitatum ſacerdos, non declarat abſolutum: malusque æque ut bonus abſoluit. nullum eſt crimen quod abſolui non poſſit, niſi impænitentia, & deſperatio, quæ peccata in ſpiritum ſanctum dicuntur. non abſoluuntur autem hæc quia ca*

rent

rent contritione, & emendatione. Ferri autem abſolutio debet, aut ligatio ſecundum cauſarum merita, non pro uoluntatis libito: peccatorque niſi peracta pœnitentia reconciliari non debet; & ſi iniuſta ſententia forte ſit, timenda nihilominus eſt. ante abſolutionem preces quædam olim præmittebantur. Materia in hoc ſacramento ſunt actus ipſius pœnitentis: forma uero, ego te abſoluo in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Hæc autē uerbo Dei perficitur, ſicut omnes omnium ſacramentorum formæ. Errat qui ſe hoc tantum nomine pœnitentiam agere putat, propterea quòd a ſacramentis ſolummodo abſtinet. et abuſus eſt in confeſſione excuſare peccata. Satisfactio, tertia pœnitentiæ pars, neceſſaria poſt confeſſionem eſt; et conſiſtit in ieiunijs, lacrimis, orationibus, eleemosynis, & alijs ſanctæ operibus diſciplinæ. aboleturque per eam temporaria pœna æterna in eam commutata, quam poſt dimiſſum in confeſſione peccatum, ſubeundam manere, multis probatur. defenduntur hoc in capite opera & merita: iuſtificationis materia explicatur; & argumenta, quæ in contrarium eſſe uidentur, breuiter confutantur.

C. 14. C. 15. C. 16.

Proœmium.

Procœmium.

SCRIPTVRI *de ſacramento pœnitentiæ, opus in ſexdecim capita partiemur. Primo de contritione tractabimus: Secundo de cōfeſſionis nominibus: Tertio de eius inſtitutione: Quarto de neceſſitate: Quinto quæ, & qualesnam ex confeſſione ſequantur utilitates: Sexto dicetur an ſine confeſſione, uel continuo poſt eam factam, accedi ſacram ad euchariſtiam poſſit: Septimo de perſonis ſcilicet tam de ijs quibus audiendi confeſſiones facultas a Deo tributa eſt, quàm etiam de illis quæ ad eam peragendam ex præcepto ſanctæ et catholicæ Eccleſiæ tenentur. Octauo ſcribetur de tēpore quo fieri confeſſio debet; hocque in capite explicabitur an pœnitentia usque in extremum uitæ dilata utilis et proficua ſit. Nono narrabitur utrū quis hominis qui alterius parochiæ ſit audire cōfeſſionem, & pœnitentiam ei imponere ualeat. Decimo explicabitur modus faciendi confeſſionem, hoc eſt quæ peccata pandenda ſacerdotibus ſint, grauia ne tantum, an etiam leuia, & animi quoque cogitationes: Item an ſpeciatim una cum cauſarum adiectione omnia ex integro crimina ſint enarrãnda, & ad aures dumtaxat unius, an plurium, prout libuerit, ſacerdotum, partiendo confeſſionem: & quo caſu publica imponi pœnitentia debeat: demum quo ritu, quaue reuerentia confeſſio, & quo modo peragenda pœnitentia ſit. Vndecimo capite enarrabitur*

quanta

quanta cura & diligentia ſecreta tenenda a ſacerdotibus confeſſio ſit, & utrum detegentibus eam fides adhiberi debeat. Duodecimo dicetur de tribus præcipuis Eccleſiæ clauibus, quæ neceſſariæ hoc in ſacramento ſunt. Decimotertio tractabitur de abſolutione, ideſt utrum peccatorem abſoluat ſacerdos, an potius abſolutum declaret: & an malus æque ut bonus abſoluat ſacerdos: numquid omne peccatum remitti poſſit: & utrum pro libito uoluntatis, an ſecundum cauſarum merita abſolutio impendi debeat: poſtremo quibus olim præmiſſis precibus abſolutio præberetur. Decimoquarto de materia & forma huius ſacramenti ſcribetur. Decimoquinto abuſus aliqui taxabuntur. Decimoſexto, quod poſtremũ omnium erit caput, dicetur de ſatisfactione, quæ tertia eſt pænitentiæ pars: hoc eſt explicabitur, quæ pœna per ſatisfactionem eluenda, abſolutum in confeſſione maneat hominẽ; & in quibus ſatisfactio ipſa conſiſtat; & quo modo immenſæ ſatisfactioni per Chriſtum actæ hæc minime repugnat: & quia altiorem ueſtigationem materia iſta poſtulat, propter noſtrorum temporum infelicitatem, de fide & iuſtitia, item de operibus, & meritis late tractabitur.

De contritione, Cap. I.

PAENITENTIA *tres habet partes, contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem. Eſt autem contritio, ut ab ea quæ* Thomas 3.p.q. 90. art. 1. & 2. & q.ſeq. *prima eſt incipiamus, iuſtus de perpetratis peccatis conceptus dolor cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi. is enim, qui de commiſſis ſceleribus remiſſionem habere deſiderat, neceſſarium habet in primis a peccatis ceſſare, ea quatenus poteſt abhorrendo, deinde ſe ad bonorum operum per confeſſionem, & ſatisfactionem initia præparare, quemadmodum docet apoſtolus, cum ait:* Rom. 13. *Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. et Dauid propheta,* Pſal. 30. *Declina, inquiens, a malo, et fac bonum. et Iſaias:* Iſa. 16. *Quieſcite agere peruerſe, diſcite benefacere. Cõteri autem de peccato dicitur is, qui propter commiſſum delictum dolore afficitur. hoc autem cordis ſciſſioné uocat Iohel propheta, cum ait,* Iohel. 2. *Scindite corda ueſtra & non ueſtimenta ueſtra. habet autem ſecum uera contritio, ſpiritus tribulationem, & animi humilitatem. quæ omnia a propheta Dauid breuiter explicantur cum dicitur:* Pſal. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies. Tribulatione afficitur ſpiritus, cum de cõmiſſis ſceleribus dolorem concipit: humiliatur uero cum ſeſe uti reum agnoſcens, coram diuina miſericordia pro impetranda uenia proſternit. ante autem quàm contritio cordis contingat, perturbatur cor*

ipſum

ipſum, tenebras, & miſerias, in quibus ſe totum immerſum propter peccatum uidet, illuceſcente gratia agnoſcere incipiendo: de qua re loquens, rarum pœnitentiæ exemplum, Dauid aiebat: Cor meũ conturbatum eſt in me, dereliquit me uirtus mea, et lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum. et alibi: Cor meum conturbatum eſt in me, & formido mortis cecidit ſuper me. & rurſum. Sana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea, et anima mea turbata eſt ualde: ſed tu Domine usque quo? loquens de contritione Iſaias, egregie eius explicat comites, humilitatem ſcilicet, & tremorem: ait enim: Ad quem reſpiciam, inquit Dominus, niſi ad pauperculum, et contritum ſpiritu, & trementẽ ſermones meos? Pauper enim humilẽ corde ſignificat ſicut ſcriptum eſt: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Ieremias eleganter explicat, quo modo contritio hæc peccatori contingat, cum ait: Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam, et poſt quã oſtendiſti mihi, percuſſi cor meum: confuſus ſum, & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ. conſtat enim ex iis uerbis, quòd ante quàm homo de perpetratis ſceleribus conteratur, neceſſe eſt, ut a Deo ſuperne illuminetur, & de miſeria, in quam ſe ipſum peccando proiecit, admoneatur. hac enim accedente illuminatione peccator ad pœnitentiam ſe conuertit. uocatur hæc apud Græcos μετάνοια, ſignificatque, Tertulliano aucto re, animi conuerſionem, & immutationem. certe

Pſal. 37. Pſal. 54. Pſal. 6. Iſa. 66. Matth. 5. Ierem. 31. Tertull. lib. 2. contra Marcionem.

græca

græca nuncupatio tranſmutatam innuit mentem: immutat autem mentem ſuam peccator, dum firma penes ſe uoluntate deliberat ulterius non peccare. hæc autem deliberatio niſi præcedente erubeſcentia, & confuſione non contigit. confunditur enim in ſe ipſo peccator, dum ſe tot uitiis, & ſceleribus uidet immerſum, dum contra uoluntatem Dei uitam ſuam traduxiſſe conſiderat, & dum æternam propter peccatum ſe amiſiſſe felicitatem perpendit. propterea confuſus erubeſcit, ſicut ait apoſtolus cũ ſcri

Rom.6. *bit: Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? oritur erubeſcentia hæc in*

Gal.5. *homine, ex eo quòd diuinior illa animæ pars, quàm*

Rom.8. *ſpiritum ſacra appellat ſcriptura, flagellat, & continuis pungit aculeis animam, quæ peccatis conſentiendo uitam traduxit, ueluti quæ belluarum more, ſenſus, non ipſius recte conſulentis, peccando ſecuta ſit motus: conſcientiã hanc uocant, quæ acriter profecto ſceleſtam animam pungit, & eam requieſcere nullo modo ſinit. nouerat hoc ipſum Dauid propheta, qui poſt peccatum continuis in corde conſcientiæ male actæ uitæ ictibus ſauciatus, exclamabat lu-*

Pſal.31. *gens: Quoniã die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua: conuerſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina. in miſeriam quidem, & ærumnam cõuertebatur propheta, dum acuta conſcientiæ ſpina mentem illius acriter ob perpetrata delicta pungebat, traijciebatque. Poſt confuſionem uero, & erubeſcentiam, quæ conſcientia inſtante, et duriter pun-*

gente

gente, peccatoribus accidunt, defectus quidam animi, ac ſui ipſius deliquium quoddam illis continuo oboritur, quoniam in ſe ipſo deficit homo, qui peccauit, & undique confuſus, quò ſe ipſum uertat, ignorat. ſicut legimus de Cain, cuius uultum concidiſſe Gen.4. *poſt peccatum animo conceptum ſcriptura cōmemorat. hæc autem uultus deiectio utique non contigiſſet, niſi prius animi defectio præceſſiſſet. quo modo enim non deficiet peccator, qui quo diligentius ſe ipſum conſiderat, & attendit, eo fœdius peccatorum maculis ſe contaminatum agnoſcit, nihilque quod eum conſoletur aut erigat iam collapſum, in ſe perſpicere modo aliquo poteſt? nouerat hoc ipſum Dauid, cum diceret, Defecit caro mea & cor meum.* Pſal.72. *tanta hæc animi defectio, ac talis etiam eſt, ut niſi quis deinde ad immenſam Dei miſericordiam, qua peccatores pænitentes recipit, mentis ſuſtolleret oculos, peccati grauitate oppreſſus in deſperationem omnino adduceretur, & ita in æternum periret. At cum in illam mentis figit intuitum, illico conſolationem recipit. ſperat enim ueniam, & peccatorum omnium in ea remiſſionem: & ita dolorum, quibus affligebatur, multitudinem, immenſa æternæ pietatis conſolatione reſtinguit. cognitū experimento hoc erat prophetæ Dauid, cum diceret: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meā. et rurſum.* Pſal.93. Pſal.111. *Paratum cor eius ſperare in Domino, confirmatum eſt cor eius, non cōmouebitur donec deſpiciat inimicos*

 ſuos.

ſuos. requirit autem a nobis Deus integram contritionem, uidelicet ut cuncta prorſus abhorreamus delicta, nihil nobis, quod non diſpliceat, ſeruando; quia quemadmodum præceptũ fuit ut diligeremus Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus uiribus, ita etiam præcipitur ut toto corde conuertamur ad Dominum, cum nobis dicitur: Conuertimini ad me in toto corde ueſtro, in ieiunio, fletu, & planctu, & ſcindite corda ueſtra, & non ueſtimenta ueſtra. toto autem corde non conuertitur is, qui uel ſibi aliquod perpetrandum ſeruat delictum, uel cuncta iam commiſſa ſcelera pariter non deteſtatur. Vocatur autem contritio ab euangeliſta Luca, cordis compunctio, cum ait: His auditis cõpuncti ſunt corde & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos apoſtolos: Quid faciemus uiri fratres? quo nomine utitur etiam beatus Ephrem, qui præterquod librũ de compunctione cordis inſcripſit, ita alio in opere dicit: Cõpunctio, inquiens, fratres ſanitas animæ eſt, illuminatio mentis eſt: compunctio fratres remiſſionem delictorum nobis acquirit: cõpunctio fratres Ieſum unigenitum facit in nobis habitare, cum eum deſideramus, & quærimus. & quoniam ex cordis contritione lacrymæ oboriri ſolent, propterea ſubdit: Volo uobis fratres enarrare potentiam lacrymarum: Anna per lacrymas a Deo Samuelem prophetã accepit, ſublimitatem & gloriationem animæ ſuæ. mulieris etiã peccatricis debita in domo Simonis a Chriſto domino dimiſſa ſunt; quæ lacrymis pedes eius riga-

Thomæ 3. p. in add. q. 2. arti. 3. De pæn. diſt. 3. c. ſceleratior. §. his &. c. ſunt

Deut. 6.

Iohel. 2.

Act. 2.

Ephrem de extremo iudicio c. 5.

1. Reg. 5.

Luc. 7.

rigabat, & crine tergebat. grandis uirtus eſt lacrymarum, multumque præualent lacrymæ, quæ ſecundum Deum ſunt. Fiduciam Domini ſemper acquirunt lacrymæ: ſordidas cogitationes expellunt, nec proximare eas permittunt animæ compunctionem cordis habenti. aſſerere hoc ipſum uidetur etiam Dauid: qui poſtquam dixit conturbata ſibi fuiſſe oſſa Pſal. 6.
una cum anima, quod ex animaduerſione, & conſideratione ſcelerum, dum interea peccator compungitur, euenit, ſtatim addidit: Laboraui in gemitu meo, *lauabo per ſingulas noctes lectum meum: Lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Scripſit etiam beatus Chryſoſtomus de compunctione cordis libros duos, ut nemini iam uerti poſſit in dubium, quin contritio cordis omnibus peccatoribus neceſſaria ſit: cuius tanta uis & potentia eſt, ut Niniuitas ab urbis excidio li*- Ion. 3.
berauerit, Dauid in Dei gratiam reſtituerit, pecca- 2. Reg. 12.
trici mulieri multorum peccatorum remiſſionem impetrauerit, Petrum apoſtolorum principem a periu- Luc. 7.
rii reatu, & infidelitatis culpa abſoluerit, & latro- Luc. 22.
nem breuiſſimo quodam temporis ſpatio compunctū, Luc. 23.
e tormento, et ignominia crucis, in paradiſi delicias, & gloriam tranſportauerit. felix profecto contritio, quæ peccatorum corda ita proſcindit, & conterit, ut illa prorſus innouet ad ſalutem, quemadmodum orabat Dauid, cum diceret: Cor mundum crea in me Pſal. 50.
Deus, et ſpiritum rectum innoua in uiſceribus meis. Sancta & diuina innouatio, per quam homo, qui prius impius et inſipiens dicebat in corde ſuo non eſſe

Pſal. 52. *Deum, uel etiam non reſpicere ad peccantium macu las, proptereaue in duritia peccandi obſirmatus aie*
Pſal. 9. *bat: Nõ mouebor a generatione in generationem ſi ne malo: cœperit poſtea per compunctionem noua ef*
Rom. 10. *fectus creatura, corde credere ad iuſtitiam, & ore confeſſionem facere ad ſalutẽ. et animo ad bene agen*
Pſal. 27. *dum offirmato, poſtremo exclamat: Refloruit caro mea, & ex uoluntate mea confitebor ei. et rurſum,*
Pſal. 27. *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Do mino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. et ali*
Pſal. 56. & 107. *bi. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, ſicuti de peccatore poſt pœnitentiã ad bene agendum*
Pſal. 111. *confirmato, alibi dicitur: Cõfirmatũ eſt cor eius, non cõmouebitur donec deſpiciat inimicos ſuos. Præſenta neum et cæleſte remediũ, quod adeo cunctis fidelibus peccatoribus neceſſariũ eſt, ut ſine eo nemo ſibi ueniã polliceri, nemo ſalutẽ promittere modo aliquo poſſit,*
Thomæ 3. p. in add. q. 6. art. 1. *cum tamen ipſum per ſe ſolũ, ubi cetera haberi reme dia nequeunt, ad remiſſionem peccatorum ſufficiat. quoniam ſcriptum eſt quod in quacunque hora inge-*
Ezech. 18. *muerit peccator, & conuerterit ſe a uia mala, omniũ*
Pſal. 50. *iniquitatum eius Deus nõ recordatur. et Dauid pro- propheta, ſacrificium Deo acceptum ait eſſe ſpiri- tum contribulatum: item, cor contritum & humi- liatum ab eo minime deſpici aſſeuerat. firma atque immobilis ſalutis ſcala, per quam quilibet impius, & peccatorum maculis inquinatus, ad cælum aſcen dere facile poteſt, & ſine qua nullus peccator compa rare ſibi ſalutem ualet: ita enim beatitudinis æter-*

nam,

nam, & pretioſiſſimam mercem fidelibus ſuis acquirendam Deus inſtituit, ut ubi haberi ſacramenta non poſſunt, ſola cordis fide, & contritione, una tamen cum ſacramentorum uoto, & deſiderio, illa emi, ſola parari poſſit. et ita inexcuſabilis es o homo, cum nihil a te Deus eatenus requirat, niſi quatenus illud facere potes, et adimplere. eſt in Eccleſia baptiſmus, ſunt etiam claues: utrumque pro conſequenda ſalute neceſſarium a Chriſto inſtitutum remedium. primum ſalutem homini parat, alterum amiſſam reſtituit. hæc remedia ſi non accipies, utique damnationem accipies. at ſi tibi nec baptiſmi, neque ſacerdotalium clauium copia ſuppetit, habes in te ipſo unde ſaluari poſſis, cor ſcilicet tuum, quo uel ad iuſtitiam credas, uel iam credens compungaris ad ueniã & ſalutem. habes, inquam, animum tuum, ut ſacramentum, quod effectu habere nequis, uoto et deſiderio aſſequaris. Baptiſmi uicem, inquit Auguſtinus, aliquando implere paſſionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum eſt, hodie mecum eris in paradiſo. non leue documentum beatus Cyprianus aſſumit. quod etiam, atque etiã conſiderans inuenio, non tantum paſſionem pro nomine Chriſti, id quod ex baptiſmo deerat, poſſe ſupplere, ſed etiam fidem, conuerſionemque cordis, ſi forte ad celebrandum myſterium baptiſmi, in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt. neque enim latro ille pro Chriſti nomine crucifixus eſt, ſed pro meritis facinorum ſuorum: nec quia credidit paſſus eſt, ſed dum patitur credidit

Thomas 3. parte ſummæ q. 68 art. 2.

Auguſt. lib. 4. de baptiſmo cõtra Donatiſtas c. 23. idem aſſerit epiſt. 108. ad Seleucianã.

didit . quantum itaque ualeat etiam ſine uiſibili ſacramento baptiſmi , quod ait apoſtolus , Corde creditur ad iuſtitiam , ore autem confeſſio fit ad ſalutem , in illo latrone declaratum eſt . ſed tunc impletur inuiſibiliter , cum myſterium baptiſmi non contemptus religionis , ſed articulus neceſſitatis excludit . confirmat hanc eandem ſententiam diuus Ambroſius , cum de Valentiniani obitu ſcribit : eum enim fide , & baptiſmi uoto ſaluum aſſeuerat factũ , propterea quòd ad baptiſmi aquas morte præoccupatus peruenire non potuit . quibus auctoritatibus motus beatus Bernardus , multis id ipſum aſſerit in epiſtola quam ad Hugonem de ſancto Victore miſit . Idem quoque in ſacramento pœnitentiæ à ueteribus ſtatui , ut ſcilicet ubi ſacramentũ haberi nequit , eius uotum una cum peccatorum contritione ſufficiat , ex Epaonenſi synodo , & Carthaginienſi tertia , alibi in opere ſcribimus . hæc autem in neceſſitatis tantũ articulo uera ſunt , ubi quis non ex contemptu , ſed perſonarum inopia , aut anguſtijs temporum a ſacramentis excluditur . nam etſi Deus uirtutem ſuam ſacramentis , ut theologi ſcribunt , non alligauerit , quin ſine eis , ubi illa haberi nequeunt , operari ipſe ad ſalutem inuiſibiliter non poſſit , adeo tamen neceſſaria illa eſſe uoluit , ut eorum uotum requirat , ubi effectus ſequi externe non poteſt . ſequitur igitur , ut de confeſſione , altera pœnitentiæ parte , nunc pertractemus . uerum quia latum eſt opus , in capita ipſum partiemur , & a nomine initium capiemus .

Rom. 10.

Ambr. de obitu Valentiniani.

Bernardus epiſtola 77.

Epaonen. syn. c. 11. Burchard. lib. 11. c. 51. Carthag. 3. sy. c. 81. Burchard. lib. 18. c. 10. Thomas 3. parte ſummæ, q. 68. arti. 2. & in add. q. 6. art. 1.

De

De confeſſione, & primum de eius nomine, Cap. II.

CONFESSIONIS *nomen apud ſacras literas interdum laudem, interdum ſcelerum propalationem ſignificat. hoc autem ex hebraicæ linguæ proprietate ductum eſt: apud eá enim hoda uerbum cum laudare, tum etiam confiteri ſignificationem habet. hanc in ſententiam dictum eſt a beato Hilario: Inuenimus confeſſionem duplici ratione tractandam eſſe, unam confeſſorum peccatorum, ubi in deſerto Iordanis confitebantur peccata ſua eſſe: aliam laudationis Dei, ubi Dominus loquitur ad patrem, Confiteor tibi Domine, pater cæli et terræ, quòd abſcondiſti hæc a ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis. prima ergo illa, & ſuperior confeſſio, peccatorum eſſe credenda eſt, maxime quæ prædicationi propheticæ, atque apoſtolicæ connectitur: ſequens hæc laudationis Dei intelligenda eſt, populorum deinde omnium, ideſt gentium uniuerſarum. Peccatorũ igitur cõfeſſio, de qua in præſentia tractaturi nos ſumus, græce ἐξομολόγησις appellatur. quæ frequens eſt penes diuum Cyprianũ nuncupatio: quá obrem quodam in loco, credo, ait, ut qui libellum a martyribus acceperunt, & auxilio eorum adiuuari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt, ſi premi infirmitate aliqua, & periculo cœperint, exhomologeſi facta, & manu eis a uobis in pœnitentiam impoſita, cum pace a martyribus ſibi præmiſſa ad Dominum*

Hilarius in expoſitione. Pſal. 66. Matth. 3.

Luc. 10.

Cyprianus in epiſtola ad clerum de iis qui ad euchariſtiã feſtinant.

minum remittantur: & quoniam per confeſſionem peccatorum, pænitentia pro qualitate facinorum im ponitur, ipſeque peccator, qui funibus peccatorum ſuorum deuinctus erat, a reatu abſoluitur & recon ciliatur Deo, propterea ipſa confeſſio modo pæniten- tia & abſolutio, modo reconciliatio appellatur. Symmachus Papa in Apologetico, contra Anaſta- ſium Imperatorem, pænitentiá uocat, cum ait. Con feramus autem honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum diſtat, quantum ille rerum humanarum gerit, iſte diuinarum curam. Tu Imperator a Pōtifice baptiſmum accipis, ſacra- menta ſumis, orationem poſcis, benedictionem ſpe- ras, pænitentiam rogas: poſtremo tu humana admi niſtras, illi tibi diuina diſpenſant. Abſolutionis no mine, & reconciliationis utitur synodus, cum ait, ut presbyteri de occultis peccatis iuſſione epiſcopi pæ nitentes reconcilient, & ſicut ſupra præmiſimus, in- firmantes abſoluant, & communicent. Item Pon- tianus Papa martyr. De ſacerdotibus autem Domi- ni, quos uos audiuimus contra prauorum hominum inſidias adiuuare, eorumque cauſas portare, ſcitote uos in eo ualde Deo placere, qui ſibi eos ad ſeruien- dum aſciuit, & familiares intantum ſibi eſſe uoluit, ut etiam aliorum hoſtias per eos acceptaret, atque eorum peccata donaret, ſibique reconciliaret. ipſi quoque proprio ore corpus Domini conficiunt, & po pulis tradunt. et Auguſtinus. An non cogitamus, cum ad iſtorum periculorum peruenitur extrema, nec

Prou. 5.

Symmachus Papa.

Burchard. lib. 18. c. 16.

Pontianus epiſtola 1. ad Felicem Succribonum.

Aug. Honorato, de fuga in perſecutione epiſt. 180.

nec eſt poteſtas ulla fugiendi, quantus in Eccleſia fieri ſoleat ab utroque ſexu, atque ab omni ætate concurſus, alijs baptiſmum flagitantibus alijs reconciliationem, alijs etiam pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem, & ſacramentorum confectionẽ, & erogationem? ubi ſi miniſtri deſint, quantum exitium ſequatur eos, qui de iſto ſæculo uel non regenerati exeunt, uel ligati? Item Gildas Badonius Britannus, cognomento Sapiens, *Deſine, inquit, quæſo, ut propheta ait, ab ira, & derelinque exitiabilem, ac temet ipſum maceraturum, quem cælo ac terræ, hoc eſt Deo, gregique ſpiras, furorem: fac eos potius mutatis pro te orare moribus, quibus poteſtas ſuppetit ſupra mundum alligandi, cum in mundo reos alligauerint, & ſoluendi cum pœnitentes ſoluerint.* Item Victor Afer Vticenſis epiſcopus: *Colonias iure ad excolendum agrum accipiatis (Hilderichi Arriani, Vandalorũ Regis, uerba ſunt hæc) ita tamen ut non pſallatis, neque oretis, aut ad legendum, codicem manibus geſtetis, non baptizetis, neque ordinetis, aut aliquem reconciliare præſumatis.* Vocatur etiam confeſſionis ſacramentum, manus impoſitio. unde idem Victor Afer dum deplorat ſacerdotes a Vandalis in exilium miſſos, ait: *Qui hos baptizaturi ſunt fonte aquæ perennis? qui nobis pœnitentiæ manus collaturi ſunt, & reconciliationis indulgentia, obſtrictos peccatorum uinculis ſoluturi. Quia dictum eſt, quodcunque ſolueritis ſuper terram, erit ſolutum & in cælo: qui nos ſollemnibus*

Gildas Badonius in lib. de excidio Britanniæ.

VictorAfer lib. 3. de perſecutione Africana

Idẽ Victor lib. 2. de perſecutione Africana

Matth. 18.

nibus orationibus ſepulturi ſunt morientes ? a quibus diuini ſacrificii ritus exhibendus eſt conſuetus.

De confeſſionis inſtitutione, Cap. III.

Q*VIS autem exhomologeſin primus in Eccleſiam introduxerit, magna uertitur hodie inter catholicos & hæreticos controuerſia, affirmantibus illis a Chriſto ſeruatore omnium inſtitutam, his uero negantibus. allatret quisquis ille ſit, ueritas eſt a Chriſto, Tertulliano etiam teſte, ut cetera ſacramenta eam quoque ſtatutā, quippe cum ſoluendi, ligandiue poteſtas, quæ a Chriſto apoſtolis tributa eſt, uana prorſus eſſet, atque inanis, ſi peccata facinoraue non enarrarentur: unde enim noſſet ſacerdos quis ligari mereretur, aut potius ſolui, ſi facta, quibus ligamen debetur, aut ſolutio, non explicarentur? alioqui aut una omnium eſſet ſolutio, aut unum dumtaxat uinculum: propterea Petrus dixit Clementi, dum eum tradita ſibi a Domino donaret poteſtate: propter quod ipſi trado a Domino mihi traditam poteſtatem ligandi, & ſoluendi, ut de omnibus quibuſcunque decreuerit in terris, hoc decretum ſit & in cælis: ligabit enim quod oportet ligari, & ſoluet quod expedit ſolui, tanquam qui ad liquidum Eccleſiæ regulam nouerit: ipſum ergo audite, ſcientes quia quicunque contriſtauerit doctorem ueritatis, peccat in Chriſtum, & patrē omnium exacerbat Deum, propter quod & uita carebit. in hanc ſententiam dictum eſt ab Vrbano: Quod autem*

Tertulli. lib. 1. de trinitate.

Matth. 16. Ioan. 20.

Clem. Papa Petri apoſtoli diſcipulus in epiſtola 1. ad Iac. fratrē Domini. 8. q. 1. ſi Petrus

Vrban. Papa in epiſtola 1.

tem

tem ſedes apoſtolorum in eccleſiis excelſæ conſtitutæ, & præparatæ inueniuntur, ut thronus, ſpeculationem, & poteſtatem iudicandi, & ſoluendi, atque ligandi, a Domino ſibi datam materiam docent: unde ipſe Saluator in euangelio ait, Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, et quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. et alibi, Accipite Spiritum ſanctū, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt: ideo iſta prætulimus cariſſimi, ut intelligatis poteſtatem epiſcoporū ueſtrorum, in eisque Deum ueneremini, et eos ut animas ueſtras diligatis, & quibus illi non communicant, non communicetis, & quos eiecerint, non recipiatis: ualde enim timenda eſt ſententia epiſcopi, licet iniuſte liget aliquem, quod tamen ſummopere præuidere debet. confirmat hoc ipſum diuus Athanaſius, dum ait. Si nondum ſoluta ſunt tibi uincula, trade teipſum diſcipulis Ieſu: adſunt enim qui ſoluunt uos, poteſtate hac a ſeruatore accepta, quoniam quidquid ligaueritis ſuper terram, erit ligatum, inquit, & in cælo, quidquid ſolueritis ſuper terram, erit ſolutum et in cælo. et diuus Ambroſius dum in Nouatianos inuehitur: Sed aiunt ſe Domino deferre reuerētiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſeruent: immo nulli maiorem iniuriam faciunt, quàm qui eius uolunt mandata reſcindere, commiſſum munus refundere. nam cum ipſe in euangelio ſuo dixerit dominus Ieſus, Accipite Spiritum ſanctum, quorum

Matth.18.

Io.20.

Athanaſius in ſermone ſuper illa uerba, Euntes in uicum qui contra uos eſt.

Matth.18.

Ambr.lib.1.de pænit. c2.

Io.20.

remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, detenta ſunt. Quis eſt ergo qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui reſiſtit? Eccleſia in utroque ſeruat obedientiam, ut peccatum & alliget, & relaxet: hæreſis in altero immitis, in altero inobediens: uult ligare quod non reſoluat, non uult ſoluere quod ligauit: in quo ſe ſua damnat ſententia: Dominus enim par ius & ſoluendi eſſe uoluit, & ligandi; qui utrumque pari condicione permiſit: ergo qui ſoluendi ius non habet, nec ligandi habet. Item alibi dum eoſdem Nouatianos reprehendit. *Quod ergo iſti poſſunt conſortium habere tecum, qui claues regni non ſuſcipiunt, negantes quòd dimittere peccata debeant: quod quidem recte de ſe fatentur; non habent enim Petri hereditatem, qui Petri fidem non habent, quam impia diuiſione diſcerpunt: ſed hoc improbe, quod etiam in Eccleſia donari peccata negant poſſe, cum Petro dictũ ſit: Tibi dabo claues regni cælorum; & quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis; & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta et in cælis: cum & ipſe uas electionis dominicæ dicat: Si cui autem quid donaſtis, & ego: nam & ego quod donaui propter uos in perſona Chriſti. cur igitur Paulum legunt, ſi eum tam impie arbitrantur erraſſe, ut ius ſibi uindicaret Domini ſui? ſed uindicauit acceptum, non uſurpauit indebitum. et alibi: Similiter impoſſibile uidebatur per pænitentiam peccata dimitti: conceſſit hoc Chriſtus apoſtolis ſuis, quod*

Idem lib. 1. de pænit. c. 6.

Matth. 16

2. Cor. 2.

Idem libr. 2. de pænit. c. 2.

ab

ab apoſtolis ad ſacerdotũ officia tranſmiſſum eſt: fa ctum eſt igitur poſſibile, quod impoſſibile uidebatur. & alibi: Remitte mihi ut refrigerer, priusquam abeam, & amplius iam non ero: hoc eſt hic mihi re mitte, ubi peccaui: niſi hic remiſeris mihi, ibi remiſ ſionis ueniam inuenire non potero: quod enim in ter ra ligatum manſerit, ligatum manebit in cælo: pro pheta enim, & prædicator Eccleſiæ congregandæ, euangelico ſpiritu indulgentias Domini præuidebat, & præcipienda apoſtolis, ei Dominus reuelabat: im mo hæc erat uetus ſententia, ut qui ſe ligaſſet in ter ris, uinctus migraret a corpore: ideo Domiuus, quod ante erat iudicij ſui, dedit apoſtolis, peccata remit tendi æquitatẽ, ne cito ſoluẽda, diu ligata manerent. denique audi dicentem, Tibi dabo claues regni cælo rum, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſo lutum & in cælis. Tibi, inquit, dabo claues regni cælorum, ut & ſoluas, & liges. hoc Nouatianus non audiuit, ſed Eccleſia Dei audiuit: ideo ille in la pſu, nos in remiſſione, ille in pænitentia, nos in gra tia: quod Petro dicitur, apoſtolis dicitur: non pote ſtatem uſurpamus, ſed ſeruimus imperio, ne poſtea cum uenerit Dominus, & ligatos inuenerit, quos oportuit ſolui, commoueatur aduerſus diſpenſatorẽ, qui ligatos ſeruauerit ſeruos, quos Dominus iuſſe rat ſolui, dicens, Quoniam qui cognouit uoluntatem Domini ſui, et non fecit ſecundum uoluntatem eius, uapulabit multum: qui autem non cognouerit, & fecit digna plagis, uapulabit minus. merito ergo nõ

Idem ſuper pſal. 38.

Matth. 16.

Luc. 12.

remitti-

remittitur, in exilio eſt, in peregrinationis iniuria perſeuerat: hic ergo petenda eſt uenia, hic enim dictum eſt, Beati qui nunc fletis, quia ridebitis: hic locus eſt ueniæ poſtulandæ: deploremus igitur in terris, ut mereamur indulgentiam: niſi remiſſum peccatum hic fuerit, non habebimus requiẽ: ſi requies non fuerit, non erit uita æterna: ſi uita æterna non fuerit, non erimus. Item beatus Ephrem Syrus, *Hac fide, inquit, fretus princeps apoſtolici gregis Petrus, cum filium Dei uiui eſſe Chriſtum Ieſum cõfeſſus eſſet, claues regni cæleſtis accepit, poteſtatemque cæleſtium, & terrenorum omnium adeptus eſt.* Fatetur hoc idem etiã diuus Chryſoſtomus, dum ait. *ſicut Pater tradidit poteſtatem filio iudicium faciendi, ſic filius ſacerdotibus.* et infra *Inſania manifeſta eſt deſpicere tãtum principatum, ſine quo neque ſalutis, neque promiſſorum bonorum compotes fieri poſſumus: hi ſunt enim qui non tantum regenerant nos in baptiſmo, ſed peccata poſt baptiſmum remittunt, & ueteris teſtamenti ſacerdotes longe exuperant, qui tantum poteſtatem habebant probandi a lepra purgatos: at noſtris ſacerdotibus non corporis lepram, uerum animæ ſordes non modo probare, ſed & purgare prorſus conceſſum eſt.* ſubſcribit huic ſententiæ diuus etiã Auguſtinus, dum ait. *Has igitur claues dedit Eccleſiæ ſuæ, ut quæ ſolueret in terra, ſoluta eſſent in cælo; quæ ligaret in terra, ligata eſſent & in cælo: ſcilicet ut quisquis in Eccleſia eius dimitti ſibi peccata non crederet, non ei dimitterentur,*

Luc. 6.

Ephrem in lib. de armatura ſpirituali.

Matth. 16.

Chryſoſt. lib. 2 & 3. de ſacerd.

Aug. lib. 1. de doctrina Chriſtiana c. 18.

tur; quisquis autem crederet, ſeque ab his correctus auerteret, in eiuſdem Eccleſiæ gremio conſtitutus, eadem fide atque correctione ſanaretur: quisquis enim non credit dimitti ſibi poſſe peccata, fit deterior deſperando, quaſi nihil illi melius, quàm malum eſſe, remaneat, ubi de fructu ſuæ conuerſionis infidus eſt. Item diuus Gregorius: Libet intueri illi diſcipuli ad tanta onera humilitatis uocati, ad quantum culmen gloriæ ſint perducti: ecce non ſolum de ſemet ipſis ſecuri fiunt, ſed etiam alienæ obligationis poteſtatem relaxationis accipiunt, principatumque ſuperni iudicis ſortiuntur, ut uice Dei, quibuſdam peccata retineant, quibuſdam relaxent: ſic ſic eos a Deo docebat erigi, qui tantum pro Deo conſenſerant humiliari: ecce qui diſtrictum Dei iudicium metuunt, animarum iudices fiunt, & alios damnant, uel liberant, qui ſemet ipſos damnari metuebant: horum profecto nunc in Eccleſia epiſcopi locum tenent, ligandi, atque ſoluendi auctoritatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur: grandis honor, ſed graue pondus iſtius eſt honoris: durum quippe eſt, ut qui neſcit tenere moderamina uitæ ſuæ, iudex uitæ fiat alienæ. Itē Nicephorus Chartophylax. Ligandi ſoluendique prouincia Pontificibus ipſis a clementiſſimo Deo noſtro demandata eſt, ſiquidem ad Petrum ait, quæcunque ligaueris, ligata, et quæcunque ſolueris, ſoluta erunt: unde olim omnes oportebat ad ipſos Pontifices accedere, omniaque illis occulta prodere, & ſic uel reconciliationem, uel repudiū ferre.

Grego. homil. 26. ſuper illa uerba, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt

Niceph. in epiſtola ad Theodoſium monachum.

Matth. 16.

ignoro

ignoro autem qui factum ſit, cur hæc minus obſeruentur; quamuis exiſtimem Pontifices negotij tædio, frequentique multitudinis turbulentia defatigatos, id operæ ad monachos tranſmiſiſſe, ad eos ſcilicet, qui uere probati ſunt, alijsque ualeant eſſe utiles: nihil enim tale inexpertis, & indoctis permiſerunt. Item Angelomus, uir in explicãdis ſacris litteris omnium ſcriptorum feliciſſimus, dum exponit oſtiola, quæ fecit Salomon in ingreſſu oraculi de lignis oliuarum, ait. Cuius ingreſſus oſtiola per ſignificationem multifarie poſſunt accipi. nã & angelicos ſpiritus, quorum miniſterio in habitationem patriæ cæleſtis intro ducimur, apertiſſime deſignant, & apoſtolorũ æque, apoſtolicorumque uirorum, quibus claues regni cælorum ſunt datæ, tenent figuram: qui accepta a Domino poteſtate ligandi, atque ſoluendi, et dignos intra regni ianuam admittunt, & contumaces, impuros, ac ſuperbos excommunicando, ſiue anathematizando, ab ingreſſu uitæ perennis eliminant. Item

Angelomus ſuper 3. lib. Regũ cap. 6.

Petrus Rauennatis Eccleſiæ epiſcopus, auctor uetuſtiſſimus, ſimul et eruditiſſimus, Vbi ſunt, inquit, qui per homines hominibus remitti peccata non poſſe præſcribunt? qui diabolica ſemel impulſione collapſos opprimunt, ne reſurgant: qui languoribus curã, uulneribus crudeli ſpiritu ſubtrahunt, negantque medicinam: qui peccatoribus redeundi deſperatione impie reſultant. remittit Petrus peccata, & toto cum gaudio ſuſcipit pænitentes, atque omnibus ſacerdotibus hanc a Deo cõceſſam amplectitur poteſtatẽ: qui

Petrus epiſcopus Rauennatis Eccleſiæ in ſermone 145.

Matth. 26.

qui poſt regenerationem, niſi pœnitentiam repetiiſſet, apoſtolatus gloriã, & uitam pariter perdidiſſet: & ſi Petrus per pœnitentiam redit, quis ſine pœnitentia ſubſtitit? Item Eſichius ſuper leuiticum, ſacerdotes miniſtros Chriſti in remittendis peccatis, et imponenda pœnitentia eſſe ait, unde ſcriptum eſt: quia ſcilicet nõ comederunt filij Aaron quod pro peccato erat in loco ſancto, hoc eſt pœnitentiam commiſſi peccati in Eccleſia peragi non fecerunt, quibus hoc præceptum eſt, quos Chriſtus in Eccleſia ſua uicarios cõſtituit. Item Eutichianus Papa martyr. Grauia ſunt nimis, quæ prætulimus, et ualde cauenda: quibus enim regnum Dei excluditur, proculdubio et Eccleſia denegatur: de quibus Dominus in euangelio, poteſtatem apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum annuncians, ait, Quorum dimiſeritis peccata dimittuntur eis; & quorum alligaueritis, alligata erunt: ideſt, quibus Eccleſiam interdixeritis, niſi reconciliati per ſatisfactionem fuerint, ipſis & ianua regni cæleſtis clauſa erit.

Eſichius ſuper leuiticum c.10. & 26. & inuenitur de pænit. diſtinct. 1. c. inter hæc.

Eutichian. epiſtola 2. Vniuerſis epiſcopis per Siciliam cõſtitutis.

Ioan. 20.

De confeſſionis neceſſitate. Cap. IIII.

QVOD *autem neceſſaria ſit omnibus Chriſti fidelibus poſt ſcelerum perpetrationem pœnitentia quæ per exhomologeſim fit, clare dilucideue Origenes exponit, cum ait. Quoniam iniquitatem meam pronuncio: pronunciationem iniquitatis ideſt confeſſionem peccati frequentius dixi-*

Origenes ſuper pſal. 37. hom. 2.

mus.uide ergo quid edocet nos ſcriptura diuina, quia oportet peccatū nō celare intrinſecus. fortaſſis enim ſicut hi qui habent intus incluſam eſcam indigeſtam, aut humoris, uel phlegmatis, ſtomacho grauiter, et moleſte imminentia, ſi uomuerint, releuantur, ita etiam hi qui peccauerunt, ſi quidem occultant, & retinent intra ſe peccatum, intrinſecus urgentur, et propemodum ſuffocantur a phlegmate, uel humore peccati: ſi autem ipſe ſui accuſator fiat, dum accuſat ſemet ipſum, & confitetur, ſimul euomit, et delictum, atque omnem morbi digerit cauſam. tantúmodo circumſpice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum: proba prius medicum cui debeas cauſam languoris exponere, qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente: qui condolendi & compatiendi nouerit diſciplinam: ut ita demum ſi quid ille dixerit, qui ſe prius & eruditum medicum oſtenderit, & miſericordem: ſi quid conſilij dederit, facias, & ſequaris, ſi intellexerit, & præuiderit talem eſſe languorem tuum, qui in conuentu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortaſſis et ceteri ædificari poterunt, et tu ipſe facile ſanari, multa hoc deliberatione, & ſatis perito medici illius con
Hier. c.10. ſuper eccleſiaſté. *ſilio procurantur. Item diuus Hieronymus, ſi quem, inquit, ſerpens diabolicus occulte momorderit, & nullo conſcio eum peccati ueneno infecerit, ſi tacuerit qui percuſſus eſt, & non egerit pænitentiam, nec uulnus ſuum fratri, & magiſtro uoluerit confiteri, magiſter qui linguam habet ad curandum, facile ei*

pro-

prodeſſe non poterit: ſi enim erubeſcat ægrotus uulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat. Item Baſilius, neceſſarium, inquit, uidetur ijs, quibus diſpenſatio myſteriorum Dei cõmiſſa eſt, confitenda eſſe peccata. Item Theodorus archiepiſcopus Cantuarien. Quidam Deo ſolummodo confiteri debere peccata dicunt, quidam uero ſacerdotibus confitenda eſſe percenſent, ut tota fere ſancta Eccleſia: quod utrunque non ſine magno fructu intra ſanctam fit Eccleſiam, ita dumtaxat, ut Deo qui remiſſor eſt peccatorum, peccata noſtra confiteamur, et hoc perfectorũ eſt, et cum Dauid dicamus; delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiã meam non abſcondi: dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei: ſed tamen apoſtoli inſtitutio nobis ſequenda eſt, ut confiteamur alterutrum peccata noſtra, & oremus pro inuicem, ut ſaluemur: confeſſio itaque quæ ſoli Deo fit, quod eſt iuſtorum, purgat peccata: ea uero quæ ſacerdoti fit, docet qualiter ipſa purgentur peccata: Deus namque ſalutis, & ſanctitatis auctor, & largitor, plerumque præbet hanc ſuæ pœnitentiæ medicinam inuiſibili adminiſtratione, plerumque medicorum operatione. Item Beda diſcipulus eius. et ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. multi propter peccata in anima facta, infirmitate, aut etiam morte plectuntur corporis: unde apoſtolus Corinthijs qui corpus Domini percipere indigne ſoliti erant, ait. ideo inter uos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt

Baſil. in regula monachorum c. 21.

Theodorus Cãtuarien. archiepiſcopus. uide de pœnit. diſt. 1. c. ultimo.

Pſal. 31.

Iac. 5.

Beda ſuper epiſtolam Iac. c. 5.

1. Cor. 11.

multi: ſi ergo infirmi in peccatis ſint, & hæc presbyteris Eccleſiæ confeſſi fuerint, ac perfecto corde ea relinquere atque emendare ſatagerint, dimittentur eis: neque enim ſine confeſſione emendationis peccata queunt dimitti: unde recte ſubiungit: Confitemini ergo alterutrum peccata ueſtra, & orate pro inuicem ut ſaluemini. in hac autem ſententia illa debet

Thomæ 3.p. in add.q.8.arti.3. *eſſe diſcretio, ut quotidiana, leuiaue peccata, alterutrum coæqualibus confiteamur; eorumque quotidiana credamus oratione ſaluari: porro grauioris le*

Leuit. 13. Luc.5.17. *præ immunditiam, iuxta legem, ſacerdoti pandamus, atque ad eius arbitrium qualiter, & quanto tempore iuſſerit, purificari curemus. hunc eundem Iacobi apoſtoli locum Theophylactus etiam ipſe de ſacerdotali confeſſione, non ſecus quàm Theodorus, ac Beda interpretatur. neceſſariam autem eſſe poſt lapſum, peccatorum confeſſionem fidelibus dixerat multo ante Bedam, & Theodorum, diuus Auguſtinus, ſacræ & catholicæ eruditionis pater, inquiens.*

Aug.hom. 49. *Qui poſt uxores ueſtras uos illicito concubitu maculaſtis, ſi præter uxores ueſtras cum aliqua concubuiſtis, agite pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia: ut oret pro uobis Eccleſia: nemo ſibi dicat, occulte ago, apud Deum ago, nouit Deus, qui mihi ignoſcit, quia in corde ago: ergo ſine cauſa ſunt claues datæ Eccleſiæ Dei? fruſtramus euangelium Dei, fruſtramus uerba Chriſti? permittimus uobis quod ille negat? nonne uos decipimus? Iob dicit. Si erubui in*

Iob 31. *conſpectu populi confiteri peccata mea. talis iuſtus*

theſau-

theſauri diuini obryzi, tali animo probatus, iſta dicit, & reſiſtit mihi filius peſtilentiæ, et erubeſcit genu figere ſub benedictione Dei, quod non erubuit Imperator, erubeſcit nec ſenator, ſed tantum curialis? ſuperba ceruix, mens tortuoſa, fortaſſis, immo, quod non dubitatur, propterea Deus uoluit ut Theodoſius Imperator ageret pænitentiam publicam in conſpectu populi, maxime quia peccatum eius celari non potuit; & erubeſcit ſenator, quod nō erubuit Imperator, erubeſcit nec ſenator, ſed tantum curialis, quod non erubuit Imperator? erubeſcit plebeius ſiue negotiator quod nō erubuit Imperator? quæ iſta ſuperbia eſt? nonne ſufficeret gehennæ, etiam ſi adulterium nullum eſſet? Item diuus Ambroſius neceſſitatem confeſſionis peccatorum explicans, ita ſcribit: Omnis enim Chriſtianus qui uult peccata ſua celare, hic ſpiritualiter uulpes eſt: ſicut uulpes propter fraudes ſuas latibulis demoratur, ita et peccator tacens propter conſcientiam ſuam, peccatorum foueis deliteſcit: & ſicut illa non audet inter medias hominum turbas morum ſuorum oſtendere fallaciam, ita & hic erubeſcit in media Eccleſia, cōuerſationis ſuæ nequitiam confiteri. Loquitur autem diuus Ambroſius una cum diuo Auguſtino de publicis & inuulgatis ſceleribus, quibus publica confeſſio, & pænitentia debebatur, uti nos inferius, cum de modo confeſſionis tractabitur, latius enarrabimus. Vulgato autem peccato, ſi quis de eo ſponte non pæniteret, compelli per excommunicationem ad pænitentiam Ambr. ſermone 89.

poterat, quemadmodum Theodoſius Imperator coactus ad illam publice peragendam per beatum Ambroſium fuit, dum illũ ab ingreſſu templi prohibuit.

Theod. lib. 5. eccleſiaſticæ hiſt. c. 18.

de qua re inter cætera ita ſcribit Theodoretus. Dum Theodoſium Auguſtum ab ingreſſu templi arceret, dixit. diſcede, nec uelis priorem iniquitatem hac alia iniquitate augere, neque detrectes uinculum, quod ipſe omnium Dominus deſuper approbat. & poſt pauca: memoria enim teneo, inquit Imperator ad Ruffinum magiſtrum, Dominicam uocem, quæ manifeſte dicit, quemcunque ligaueritis in terra, is & in cælo erit ligatus. ibi Ruffinus, ad Pontificem igitur, ſi placet, curram, precibusque eum adducam, ut ſoluat uincula tua. non flectetur, inquit Imperator, nota eſt enim mihi iuſtitia ſententiæ Ambroſii.

Fabianus papa martyr epiſt. 2. ad omnes orientales epiſcopos

Quod autem quis ad pænitentiam, ubi ſcelus innotuit, per Eccleſiam compelli poſſit, Fabianus Papa martyr clare & luculenter exponit, dum ait: illi uero, qui illa peccata perpetrant, de quibus apoſtolus ait, quoniã qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur, ualde cauendi ſunt, & ad emendationem, ſi uoluntarie noluerint, compellendi, quia infamiæ maculis ſunt aſperſi, & in barathrum delabuntur, niſi eis ſacerdotali auctoritate ſubuentũ fuerit. Similiter & illi, de quibus ipſe ait, cum huiuſmodi hominibus nec cibũ ſumere: quia infamia ſunt notati, antequam ſacerdotali auctoritate ſanentur, & in gremio ſanctæ matris Eccleſiæ reintegrentur, quia qui extra nos ſunt, nobiſcum communicare non

Gal. 5.

1. Cor. 5.

poſſunt. Item Proſper Aquitanicus. huc accedit, quod & ipſa peccata ſic habentur occulta, uel aliena nobis, uel aliis noſtra, ut plerunque & ſanctus inter peccatores lateat, et famam ſancti obtineat peccator. innocentem, ſi ſe tueri non poteſt, ſuſpicio iudicij incauta condemnat, & reum calliditas ingenii uiuacis excuſat. uerumtamen non diuinum, ſed humanum fallunt iſta iudicium. et quid mirum, ſi animos aliorum, quales ſint, ſine ipſorum confeſſione neſcimus, cum nos ipſos ita hodie nouerimus, ut quales futuri ſimus, craſtino neſciamus? cum uero nobis fratres quilibet noſtri, ſua tanquã medicis uulnera, quibus urgentur, aperiunt, operam dare debemus, ut quantocyus ad ſanitatem Deo auctore perueniant, ne in peius diſſimulata curatione proficiant, ecce autem crimina quorumlibet ſi ipſis criminoſis confiteri nolentibus, undecunque claruerint, quæcunque non fuerint patientiæ leni medicamento ſanata, uelut igni quodam piæ increpationis urenda ſunt, & curanda: quod ſi ne ſic quidem æquanimiter ſuſtinentis, ac pie increpantis medela profecerit, in eis, qui diu portati, & ſalubriter obiurgati, corripi noluerint, tanquam putres corporis partes debent ferro excommunicationis abſcindi, ne ſicut caro morbis emortua, ſi abſciſſa non fuerit, ſalutem reliquæ carnis putredinis ſuæ contagione corrumpit, ita iſti qui emendari deſpiciunt, & in ſuo morbo perſiſtunt, ſi moribus deprauatis, in ſanctorum ſocietate permanſerint, eos exemplo ſuæ perditionis inficiant. porro

Proſper Aquitanicus in lib. de uita contemplatiua.

illi, quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipſis confeſſa, nec ab alijs publicata, ſi ea confiteri, aut emendare noluerint, Deum, quem habent teſtem, ipſum habituri ſunt & ultorem: & quid eis prodeſt humanum uitare iudiciũ, cum ſi in malo ſuo permãſerint, ituri ſint in æternum Deo retribuente ſupplicium? quod ſi ipſi ſibi iudices fiant, & ueluti ſuæ iniquitatis ultores, hic in ſe uoluntariam pœnam ſeueriſſimæ animaduerſionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna ſupplicia, & lacrymis ex uera cordis compunctione fluentibus, reſtinguent æterni ignis incendia. et Auguſtinus. Agunt etiam homines pænitentiam, ſi poſt baptiſmum ita peccauerint, ut excommunicari, & poſtea reconciliari mereantur: ſicut agunt in omnibus Eccleſiis illi qui proprie pænitentes appellantur. de tali enim pænitentia locutus eſt apoſtolus Paulus ubi ait. Ne iterum cum uenero humiliet me Deus apud uos, & lugeam multos ex his, qui ante peccauerunt, et non egerunt pænitentiam ſuper immunditia, & luxuria, & fornicatione, quam egerunt. neque enim ſcribebat iſta, niſi eis qui iam baptizati fuerant. habemus etiam in actibus apoſtolorum. Simonem iam baptizatum, cum pecunia uellet emere, ut ei per impoſitionem manus daretur Spiritus ſanctus, admonitum a Petro, ut de hoc graui peccato ageret pæniten tiam. Verum etſi neceſſaria poſt baptiſmum exhomologeſis peccatorum ſit, & per eam, ueluti per alteram poſt naufragium tabulam, reditus in Chriſti,

Aug. Seleucianæ epiſt. 108.

2. Cor. 12.

Act. 8.

ſti, & Eccleſiæ gratiam pœnitentibus concedatur, ſi quis tamen confiteri uolens, a confeſſione peragenda, iuſto aliquo, ac legitimo impedimento repellatur, non propterea huiuſmodi æternæ damnationis reum fore dicere debemus, quando fides, & contritio ſcelerum ſufficit, ubi, ſine hominis tamen culpa, non ſequitur eius rei effectus, qui in hominis affectu conceptus ad executionem ſui tendere feſtinabat. ap probat hanc ſententiã Carthaginienſis synodus quarta, dum ait, Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum ſacerdos inuitatus uenit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, uel in phreneſim uerſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, et accipiat pœnitentiam: & ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, et infundatur ori eius euchariſtia: ſi ſuperuixerit, admoneatur a ſupradictis teſtibus, petitioni ſuæ ſatisfactum, et ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus, quàm diu ſacerdos, qui pœnitentiam dedit, probauerit. Carthaginen. quarta syn. c. 76. & Burchar. lib. 8. c. 10.

Item Epaonenſis synodus. Si aliquis excommunicatus fuerit mortuus, qui iam ſit confeſſus, & teſtimonium habet bonum, & non poterat uenire ad ſacerdotem, ſed præoccupauit eum mors in domo, aut in uia, faciant pro eo parentes eius oblationem ad altare, & dent redemptionem pro captiuis. Epaonen. syn. c. 11. citata a Burchardo lib. 11. c. 51.

Item Hugo de ſancto Victore. Quod ſi forte peccator uere pœniteat, ſed intercurrente articulo neceſſitatis ad confeſſionem peruenire non poſſit, confidenter credere debemus, quod ſummus ſacerdos complet in eo, Hugo de ſancto Victore tom. 2. c. 10. inſtitutio nis monaſtichæ primæ.

quod mortalis non potuit : et iam apud Deum factū conſtat, quod homo quidem uere uoluit adimplere : quia confeſſionem non contemptus excluſit, ſed impediuit neceſſitas.

De confeſſionis utilitate, Cap. V.

QVANTA *ac qualis utilitas ſit, quæ ex confeſſione naſcatur, & prodeat, explicatu haud facile fuerit: ingens enim emolumentum pænitēti ex erubeſcentia comparatur, dum cum pudore crimen exprimitur, quod ſine pudore perpetratum eſt. An non ingens utilitas, ut peccanti per confeſſionem remittatur peccatum, & æterna peccato grauiori debita pœna in temporariam tranſmutetur? claudantur ei mortis, & inferni portæ, recuperetur gratia, & ſanctorum communio; ſerena ei fiat mens, & hilaris conſcientia, animæ ſanitas recipiatur, & accepto a ſacerdote ſalutari conſilio, ad ea pænitentiæ, & ſatisfactionis opera peragenda quis ſe accingat, quæ illum & ab æterna liberent damnatione, et in cæleſtem patriam æterna cum felicitate recipiant. teſtes ſunt horum, quæ diximus, quamplurimi ex ueteribus ſanctis patribus: nobis ſatis hac in re fuerit, ſi ex multis paucos in præſentia citauerimus. Petrus Bleſenſis (ut præpoſitæ utilitatis ſeriē ordinate narremus) archidiaconus Londonienſis, diui Thomæ Cantuarienſis præcipuus ac ſingularis amicus, in eo opere, quod de ſecreta, & auri*

De pæn. diſt. 1. c. uoluiſſent. §. 2. & 3. & c. quis aliquando. §. 2. Et cum ergo.

Petrus Bleſen. in lib. de confeſſ. auriculari, quod inuenitur inter eius epiſtolas, epiſtola 203.

auriculari confeſſione docte, ac erudite elucubrauit, inter cetera, dum de erubeſcentiæ bono loquitur, ita ſcribit. Non ergo pudeat dicere, quod non puduit facere, ſed utili erubeſcentia confundatur, ut in ſplendoribus ſanctorum de humilitatis ſuæ merito glorietur. deinde aliam confeſſionis utilitatem explicans ait. Sicut autē per ingratitudinem peccata redeunt, ſic per confeſſionē opera mortua reuiuiſcunt. de peccati uero remiſſione Hilarius ita teſtatur. Ad terrorem autem metus maximi, quo in præſens omnes continerentur, immobile ſeueritatis apoſtolicæ iudicium præmiſit, ut quos in terris ligauerint, ideſt peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos ſoluerint, confeſſione uidelicet ueniæ receperint in ſalutem: in apoſtolicæ condicione ſententiæ, in cœlis quoque aut ſoluti ſint, aut ligati. Item de certa remiſſionis ſpe diuus Auguſtinus: Sed fac incertū eſſe utrum ignoſcat Deus: quid perdit homo cum ſupplicat Deo? qui ſalutem perdere non dubitauit, cum offenderet Deū? quis enim certus eſt etiam quod Imperator ignoſcat? & tamen pecunia funditur, maria tranſeuntur, procellarum incerta ſubeuntur, et ut mors uitetur, pœne mors ipſa ſuſcipitur, ſupplicatur deinde per homines homini: ſine dubitatione fiunt iſta, cum ſit dubium quo fine proueniant: & tamen certiores ſunt claues Eccleſiæ, quàm corda regum, quibus clauibus quodcunque in terra ſoluitur, etiam in cœlo ſolutum promittitur. de remiſſione autem pœnæ diuus Ambroſius ita ſcribit: ſicut enim in ciuitatibus leuitarū

Hilarius ſuper Matth. Cap. 18.

Aug. in libr. de pænit. medicina, quæ eſt homilia 50.

Ambr. in lib. de Cain & Abel c. 4
Deut. 4.
Ioſ. 14.

erat

erat pœnarum remiſſio, ut ſi quis ad eas confugeret, qui non uoluntariam necem hominis admiſerat, nulli eum occidere liceret, intra urbes dumtaxat poſitum leuitarum: ita quem peccati proprij pœnitet, quod aut imprudenter, aut inuitus admiſit, ſi leuitarum adhæreat incolatui, & ab his præceptoribus qui Dei mandata diſpenſant, recedendum non putet, lex ipſa ab omni eum commiſſi flagitij pœna, ſupplicioque liberat. Item, ut ceteras proſequamur utilitates, beatus Hilarius: O in nuncupatione noui nominis felix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius Petra, quæ infernas leges, & tartari pœnas, et omnia mortis clauſtra diſſolueret. o beatus cæli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur: cuius terreſtre iudicium, præiudicata auctoritas ſit in cælo, ut quæ in terris aut ligata ſint, aut ſoluta, ſtatuti eiuſdem condicionem obtineant et in cælo. Item Clemens Papa martyr, Petri apoſtoli diſcipulus: Quod ſi forte alicuius uel cor, uel liuor, uel infidelitas, uel aliquod malum ex his, quæ ſuperius memorauimus, latenter irrepſerit, non erubeſcat qui animæ ſuæ curam gerit, confiteri hæc huic qui præeſt, ut ab ipſo per uerbum Dei, & conſilium ſalubre, curetur; quo poſſit integra fide, & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetuæ uitæ præmia peruenire. Item diuus Auguſtinus. Eſto triſtis antequam confitearis: confeſſus exulta; iam ſaluaberis: non confitentis conſcientia ſaniem collegerat, apoſthema tumuerat: cruciabat

Hilarius ſuper Matth. can. 16. dum exponit ea uerba, Quæcunque ligaueris.

Clemens Papa martyr epiſt. 1. ad Iac. fratrem Domini.

Auguſti. ſuper pſal. 66.

te

te, requieſcere nō ſinebat: adhibet medicus fomenta uerborū: tu agnoſce medici manū: confitere: exeat in confeſſione & defluat omnis ſanies. De utilitate conſilii, quod in confeſſione a ſacerdote pœnitenti tribuitur, ſupra ex Origene, et alibi in opere, ubicunq; alia ex cauſa contigerit, pertractamus, hic tamen aliqua, quæ hoc in capite cōmodiorem inuenere locū, deſcribimus. Theodulphus Aurelianus epiſcopus in libro de eccleſiaſticis obſeruationibus, ita hac de re ſcribit: In primis Deo confitendum eſt, deinde ſacerdoti, propterea quòd confeſſio quæ fit ſacerdoti, in hoc nobis adminiculum præbet, ut accepto ſalutari ab eis conſilio, ſaluberrimis pœnitentiæ obſeruationibus, ſeu mutuis orationibus peccatorum maculas diluamus. Item Beda dum, refert hiſtoriam Aidani cuiuſdam Scoti, qui in iuuentute ſceleſtus, ac facinoroſus fuit, mox conuerſus ad Dominū factus fuit monachus in monaſterio Angliæ Coludiurbenſi, ita ſcribit: Accedens ergo ad ſacerdotem, a quo ſibi ſperabat iter ſalutis poſſe demonſtrari, cōfeſſus eſt reatum ſuum, petiitque ut conſiliū ſibi daret, quo poſſet fugere a uentura Dei ira: qui audito eius commiſſo, dixit, grande uulnus grandioris curam medelæ deſiderat; & ideo ieiunijs, pſalmis, & orationibus, quantum uales, inſiſte: quo præoccupando faciem Domini in confeſſione, propitium eum inuenire merearis. At ille, quem nimius reæ conſcientiæ tenebat dolor, & internis peccatorum uinculis, quibus grauabatur, ocyus deſiderabat abſolui, Adoleſcentior

Theodulph. Aurelian. epiſcopus.

Bed. lib. 4. hiſt. Anglicanæ, c. 25.

ſum

ſum, inquit, ætate, & uegetus corpore, quidquid mihi impoſueris agendum, dummodo ſaluus fiam in die Domini, totum facile feram, etiam ſi totam noctem, ſtando, in precibus peragere, & integram ſeptimanam iubeas abſtinendo tranſigere. qui dixit: Multum eſt, ut tota ſeptimana abſque alimento corporis perdures, ſed biduanum, uel triduanum ſatis eſt obſeruare ieiunium: hoc facito, donec, poſt modicum tempus rediens ad te, quid facere debeas, & quàm diu pœnitentiæ inſiſtere, tibi plenius oſtendam. quibus dictis, & deſcripta illi menſura pœnitendi, abijt ſacerdos, & ingruente cauſa ſubita, ſeceſſit Hiberniam, unde originem duxerat, neque ultra ad eum, iuxta ſuum condictum, redijt. At ipſe memor præcepti eius, ſimul & promiſſi ſui, tantum ſe lacrymis pœnitentiæ, uigilijs ſanctis, & continentiæ mancipauit, ita ut quinta ſolum ſabbati, & Dominica, ſicut prædixi, reficeretur, ceteris ſeptimanæ diebus ieiunus permaneret. cumque ſacerdotẽ ſuum Hiberniam seceſſiſſe, ibique defunctum eſſe audiſſet, ſemper ex eo tempore, iuxta condictum eius, memoratum continentiæ modum obſeruabat. Diuus Gregorius alteram præcipuam confeſſionis explicat utilitatem, quæ eſt, ſordium, ac macularum animæ ablutio. hæc autem etſi magna in confitente ſit, ſacerdoti tamẽ periculum tentationis inijcit, quippe cũ eius mens, dum peccatorum, præſertim carnis, audit uarietates, interdum & ipſa pulſetur. Gregorij autem uerba hæc ſunt. *In qua uidelicet compaſſione,* Greg. in regiſtro lib. 1. indi-

necesse

neceſſe eſt, ut talem ſe qui præeſt, exhibeat, cui ſub- ctione 9. c. 24. epiſt. ad Ioan.
iecti quique occulta quoque ſua prodere non erube- Conſtantinopo
ſcant: ut cum tentationum ſuarum fluctus paruuli litan. epiſcopũ.
tolerant, ad paſtoris mentem, quaſi ad matris ſinum
recurrant: & hoc, quód ſe inquinari pulſantis
culpæ ſordibus præuident, exhortationis eius ſo-
latio, & lacrymis orationis lauent: unde & an- 3. Reg. 7.
te fores templi ad abluendas ingredientium ma-
nus mare æneum, ideſt luterem, duodecim boues por
tant, qui quidé facie exterius eminét, ſed ex poſterio
ribus latent. Quid namque xij. bobus niſi uniuerſus 1. Cor. 9.
Paſtorum ordo ſignatur? de quibus lex, Paulo diſſe
rente, dicit, non obturabis os boui trituranti: quorũ
quidem nos aperta opera cernimus, ſed apud diſtri-
ctum iudicem, quæ illos poſterius maneant in occul-
ta retributione, neſcimus. Qui tamen cum conde-
ſcenſionis ſuæ patientiam abluendis proximorũ con-
feſſionibus præparant, uelut ante fores templi, lute
rem portant, ut quisquis intrare æternitatis ianuam
nititur, tentationes ſuas menti Paſtoris indicet, &
quaſi in boum lutere, cogitationis, uel operationis
manus lauet. Et fit plerunque ut dum rectoris ani-
mus tentamenta condeſcendendo recognoſcit, auditis
tentationibus et ipſe pulſetur: quia et hæc eadé, per
quam populi multitudo diluitur, aqua proculdubio
luteris inquinatur: nam dum ſordes diluentium ſu-
ſcipit, quaſi ſuæ munditiæ ſerenitatem perdit. Sed
hæc nequaquam Paſtori timenda ſunt, quia Deo ſub
tiliter cuncta penſante tanto facilius a ſua eripitur,

quanto miſericordius ex aliena tentatione fatigatur. Hæc omnia diuus Gregorius.

An quis non facta exhomologeſi, uel ſtatim poſt eam factam, ſacram eucharistiam ſumere debeat.

Cap. VI.

VETVS *eſt inſtitutio Eccleſiæ, ratione, et ueterum ſanctorum auctoritate firmata, ut quis ad euchariſtiam non accedat, niſi facta prius peccatorum exhomologeſi, & pænitentia a ſacerdote illi impoſita, ad finem usque perducta. quamobrem in hanc ſententiam diuus Cyprianus ita teſtatur: Honor ergo datur Deo, quando ſic Dei maieſtas, & cenſura contemnitur? ut cum indignari ſe ille, & iraſci ſacrificantibus dicat, & cum pœnas æternas, & ſupplicia perpetua comminetur, proponatur a ſacrilegis, atque dicatur, ne ira cogitetur Dei, ne timeatur iudicium Domini, ne pulſetur ad Eccleſiam Chriſti? ſed ſublata pænitentia, nec ulla exhomologeſi criminis facta, deſpectis epiſcopis, atq; calcatis, pax non a ueris presbyteris, uerbis fallacibus prædicetur. et ne lapſi ſurgant, aut foris ad Eccleſiam redeant, communicatio non communicantibus offeratur. et alibi: Quicunque ederit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, et ſanguinis Domini. ſpretis his omnibus, atque contemptis, uis infertur corpori eius, & ſanguini eius*

Cyprianus ad Corn. Papã contra hæreſiarchas lib. 1. epiſtola 3.

Idem in ſermone de lapſis.

1. Cor. 11.

eius: plus modo in Dominum manibus, atque ore delinquunt, quàm cum Dominum negauerunt: ante expiata delicta, ante exhomologeſim factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio, & manus ſacerdotis, ante offenſam placatã indignantis Domini, & minantis, pacem putant eſſe, quam quidem uerbis fallacibus uenditant. *Item alibi, dum inuehitur in presbyteros, qui temere quoſdam lapſos in pacem, et ad eucbariſtiam receperunt, ait: Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam iuſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem, & ad exhomologeſim ueniant, et per manus impoſitionem epiſcopi, & cleri, ius communicationis accipiant: nunc crudo tempore, perſecutione adhuc perſeuerante, nondum reſtituta Eccleſiæ ipſius pace, ad cõmunicationem admittuntur, et offertur nomen eorum; & nondum pœnitentia, nondum exhomologeſi facta, nondum manu eis ab epiſcopo, aut clero impoſita, euchariſtia illis datur, cum ſcriptum ſit: Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, et ſanguinis Domini.* *Item alio in loco: Illi contra euangelii legẽ, ueſtram quoque honorificam petitionẽ, ante actam pœnitentiã, ante exhomologeſim grauiſſimi, atque extremi delicti factam, ante manum ab epiſcopo, & clero in pœnitentiam impoſitam, offerre pro illis, & euchariſtiam dare, ideſt ſanctum Domini corpus prophanare, audeant, cum ſcriptum ſit, Qui ederit panem, aut biberit calicẽ Domini indigne, reus*

Idem in epiſtola ad clerũ de quibusdã presbyteris qui temere pacem lapſis dederunt.

1. Cor. 11.

Idem in epiſtola ad martyres & confeſſores qui lapſis petierunt pacẽ dari

1. Cor. 11.

erit corporis, & ſanguinis Domini. et rurſus alibi. Nam cũ in minoribus delictis, quæ non in Deum committuntur, pœnitentia agatur iuſto tempore, et exhomologeſis fiat, inſpecta uita eius, qui agit pœnitentiam, nec ad cõmunicationem uenire quis poſſit, niſi prius illi ab epiſcopo, & clero manus fuerit impoſita, quanto magis in his grauiſſimis, & extremis delictis, caute omnia, & moderate ſecundum diſciplinam Domini obſeruari oportet? Perpulchra eſt hiſtoria, & digna quæ a cunctis memoriter teneatur, ea quæ in eandem ſententiam ab Euſebio Cæſariẽſi de Philippo Auguſto his uerbis refertur. At Gordiano, cum per ſex annos Romanum guber naſſet imperium, Philippus una cum Philippo filio ſuccedit. de hoc traditum nobis eſt, quod Chriſtianus fuerit, & in die paſchæ, ideſt in ipſis uigilijs, cum intereſſe uoluiſſet, & communicare myſterijs, ab epiſcopo loci non prius eſſe permiſſus, niſi confiteretur peccata ſua, & inter pœnitentes ſtaret, nec ullo modo copiã ſibi myſteriorũ futuram, niſi prius per pœnitentiam culpas, quæ de eo ferebantur plurimæ, diluiſſet. ferunt igitur libenter eũ quod a ſacerdote imperatum fuerat, ſuſcepiſſe: diuinum ſibi ineſſe metum, & fidem religionis pleniſſimam, rebus, atque operibus comprobans. hæc Euſebius. fuit autem Philippus, primus ex Romanis Auguſtis, Chriſtianus, Magnumque illum & ubique percelebrem Conſtantinũ tempore per annos plurimos anteceſſit. ſubſcribit huic ſententiæ Auguſtinus, ita dicens.

Idem in epiſtola ad plebẽ de eadem re.

Euſebius Cæſarien. lib. 6. hiſt. eccleſiaſticæ c. 25.

dicens. Sed neque de ipſis criminibus quamlibet magnis in ſancta Eccleſia remittendis Dei miſericordia deſperanda eſt, agentibus pœnitentiam ſecundum modum cuiuſque peccati: in actione autem pœnitentiæ, ubi tale commiſſum eſt, ut is qui commiſit, a Chriſti etiam corpore ſeparetur, non tam conſideranda eſt menſura temporis, quàm doloris. cor enim contritum & humiliatum Deus non ſpernit. uerũ quia plerunque dolor alterius cordis occultus eſt alteri, nec ad aliorum notitiam per uerba, uel quæcunque alia ſigna procedit, cum ſit coram illo, cui dicitur, gemitus meus non eſt abſconditus, recte conſtituuntur ab his, qui eccleſiis præſunt, tempora pœnitentiæ: ut ſatisfiat etiam Eccleſiæ, in qua remittuntur ipſa peccata: extra eam quippe non remittuntur. Ergo cum tanta eſt plaga peccati, atque impietas morbi, ut medicamenta corporis, & ſanguinis Domini differenda ſint; auctoritate antiſtitis debet ſe quisque ab altari remouere ad agendam pœnitentiam, & eadẽ auctoritate reconciliari: hoc eſt enim indigne accipere corpus, & ſanguinem Domini, ſi eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam.

Aug. in libr. de pænit. medicina quæ eſt homil. 50.

Pſal. 37.

Item Proſper Aquitanicus. At hi qui in aliquo gradu eccleſiaſtico conſtituti, aliquod occulte crimen admittunt, ipſi ſe uana perſuaſione decipiunt, ſi eis uidetur propterea communicare, & officium implere debere, quod homines occultatione ſui criminis fallunt. exceptis enim peccatis, quæ tá parua ſunt, ut caueri non poſſint, pro quibus expiandis quotidie

Proſper Aquitanicus in lib. de uita contemplatiua c. 7.

Matth.6. *Deo clamamus, & dicimus, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: illa crimina caueantur, quæ publicata ſuos auctores humano faciunt damnari iudicio. Qui autem ea commiſerint, & ideo prodere metuunt, ne ſententiam iuſtæ excommunicationis accipiant, ſine cauſa communicant: immo uero dupliciter contra ſe iram diuinæ indignationis exaggerát, quod et hominibus innocentiam fingunt, & contempto Dei iudicio abſtinere ſe ab altari propter homines erubeſcunt. Quapropter Deum ſibi facilius placabunt illi, qui non humano conuicti iudicio, ſed ultro crimen cognoſcunt, quia aut propriis illud confeſſionibus produnt, aut neſcientibus alijs, quales occulti ſunt, ipſi in ſe uoluntariæ excommunicationis ſententiam ferunt, & ab altari, cui miniſtrabant, non animo, ſed officio ſeparati, uitam ſuam tanquam mortuam plangunt, certi quòd reconciliato ſibi efficacis pœnitentiæ fructibus Deo, non ſolum amiſſa recipiant, ſed etiam ciues ſupernæ ciuitatis effecti, ad gaudia ſempiterna perueniant.* Diuus *Ambroſius* reprehendit eos, qui ſtatim poſt confeſſionem, nondum ſcilicet peracta grauium criminum pœnitentia, ad eucha riſtiam accedunt. ait enim: *Nonnulli ideo poſcunt pœnitentiam, ut ſtatim ſibi reddi communionem uelint: hi non tam ſe ſeducere cupiunt, quàm ſacerdotem ligare: ſuam enim conſcientiam non exuunt, ſacerdotis induunt. præceptum eſt, Nolite ſanctum dare canibus, neque miſeritis margaritas ueſtras ante porcos:*

Ambr. lib. 2. de pœnit. c. 9. inuenitur apud Gratianum de pœnit. diſtin. 1. c. nonnulli.

Matth. 7.

porcos: hoc eſt immundis ſpiritibus, ſacræ communionis non impendenda conſortia. Gregorius Neocæſarienſis θαυματουργὸς *a miraculis appellatus, cuius uitam luculento libro Gregorius* Nyſſæ *Epiſcopus conſcripſit, non ſolum pænitentiam ante euchariſtiæ ſumptionem, ubi adſunt peccata, neceſſariam, poſt confeſſionem eſſe teſtatur, uerum etiam quibus modis, quoue ritu illa perageretur, diſerte (ut infra in libello de antiquis pænitentijs ſententiam eius recitabimus) ſcriptum reliquit.* Greg. Neocæſ.

De perſonis ad hoc ſacramentum ſpectantibus. Cap. VII.

HOC *in capite tractatur quinam ſint illi, quibus peccatorum confeſſiones, ex diuina ſcilicet inſtitutione, audire liceat, & qui ad illas peragẽdas ex Eccleſiæ præcepto teneantur. Quatenus autem ad primam pertinet quæſtionem, exploratiſſimum eſt, a Chriſto ſeruatore noſtro au ctoritatem ligandi, atque ſoluendi, ſeu retinendi, ac dimittendi peccata, non cuilibet e uulgo, ordine indiſcreto, ut aſſeuerant hæretici, ſed ſolis apoſtolis, & per apoſtolos eorum ſucceſſoribus, fuiſſe conceſſam: Petro enim, & per Petrum Eccleſiæ catholicæ dictum eſt, Et tibi dabo claues regni cælorum, et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum et in cælis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Manaſſe hanc auctoritatem* Matth, 16.

Innocētius primus Aurelio, item Siluano. uide Auguſtini tom.2.epiſt.91. & 93.

per Petrum in ceteros deinde Paſtores Eccleſiæ qui Petri fidem, & confeſſionem de Chriſto, quòd eſſet filius Dei uiui, ſecuti ſunt, oſtendit idem euangeliſta Matthæus, dum poſtea, modico rerum poſito interuallo, cunctorum apoſtolorum explicans poteſtatem, quæ eadem cū catholicæ Eccleſiæ poteſtate eſt, ſubdit. Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus et publicanus: Amen dico uobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque ſolueritis ſuper terrā, erunt ſoluta et in cælo. Quod autem apoſtolis ſolummodo hæc tanta ſit tributa facultas, & non paſſim cuilibet e uulgo, diuus Ioannes euangeliſta clare & luculenter oſtendit, dum refert Chriſtū in apoſtolos inſufflaſſe, atque dixiſſe: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Dictum eſt hac de re a nobis ſupra, cum de confeſſionis inſtitutione tractauimus, quo in capite, ueterum ſanctorum ſententias, idipſum aſſeuerantium, ante oculos lectorum poſuimus. Quod autem laicis, aut palam multis e uulgo ſecreta peccata per confeſſionem dicenda non ſint, quippe cum ita dicta confuſionem, & exprobrationem potius quàm utilē uerecundiam, & conſolationem peccantibus afferant, aſſerit diuus Chryſoſtomus, dum ait. Peccata tua quotidie dicito, ut deleas ea: ſed ſi cōfunderis alicui dicere, dicito ea quotidie in animo tuo: nō dico, ut cōfitearis ea conſeruo

Matth.18.

Vide Bedā infra in c.de clauibus.

Ioan. 20.

Chryſoſt.hom. 2.ſuper pſal.50

tuo

tuo, ut tibi exprobret, dicito Deo, qui curat ea. et alibi. Non dico tibi ut te prodas in publicum, neque ut te apud alios accuſes, ſed obedire te uolo prophetæ dicenti, reuela Deo uiam tuam. Peccata igitur laicis cõſeruis noſtris, qui ea nobis exprobrare quidem poſſunt, remittere autem non poſſunt, dicere minime debemus per ſacram Eccleſiæ catholicæ confeſſionem, neque ea, quæ latent, prodere in uulgus ex propriæ uoluntatis temeritate, ſed poſt confeſſionem Deo factam, ad aures ſacerdotum miniſtrorum Chriſti accedere, ibique ea reuelare conuenit. Iſti enim, ut idem Chryſoſtomus inquit, ſunt, qui non tantum regenerant nos in baptiſmo, ſed peccata poſt baptiſmum remittunt, & ueteris teſtamenti ſacerdotes longe exuperant: illis enim lepram tantũ corporis non purgare, ſed probare conceſſum erat: noſtris uero animorum ſordes, & corporis uitia non ſolum probare, ſed etiam purgare, & emundare facultas tributa eſt. Quòd autem apoſtolis facultas dimittendi peccata conceſſa ſit, & per apoſtolos eorum ſucceſſoribus epiſcopis ſcilicet, & ſacerdotibus ultra ea quæ ſuperius diximus, & alibi in opere dicimus, aſſerit Origenes, dum ait. ligata enim erat aſina peccatis, quæ tunc fuit ſynagoga, ligatus fuit & pullus cum ea, qui poſtmodum factus eſt nouellus ex gentibus populus credens: & hos ambos appropinquans ad Hieruſalẽ cæleſtẽ, ideſt aſcendens in cælum, iuſſit diſcipulos ſuos, ut ſoluerent eos, dans eis Spiritum ſanctum, dicens: Accipite Spiritum

Idẽ ſuper c.12. ad Hebræos homil.31. uide Petrum Lombar. lib.4. diſt.17. & Gratianum de pænit. diſt.1. c. qui aliquando. §. econtra.

Pſal.36.

Idem lib.3. de ſacerdotio.

Origenes ſuper Matth. c.21. homil.14.

Ioan.20.

ſanctum, ſi cuius dimiſeritis peccata, dimittentur eis, & ſi cuius tenueritis, tenebuntur. Et ſemper diſcipuli Chriſti ſoluentes ligatam aſinam, & pullum, adducunt ad Ieſum, uolentem eis uehiculis uti per diſcipulos ſuos ſolutis a uinculo peccatorum priorum. & alibi: Eſt adhuc & ſeptima, licet dura & laborioſa per pænitētiam remiſſio peccatorum, cum lauat peccator in lacrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lacrymæ ſuæ panis die, ac nocte, cum non erubeſcit ſacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam ſecundum eum, qui ait: Dixi pronunciabo aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatē cordis mei. in quo impletur & illud, quod Iacobus apoſtolus dicit: ſiquis autem infirmatur, uocet presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, et ſi in peccatis fuerit, remittentur ei. aſſerit hoc ipſum etiam diuus Hieronymus in epiſtola quam ad Heliodorum ſcripſit, dum ait. Sed de hoc gradu pulſus prouocabis ad clericos: an de his aliquid audeam dicere, qui certe in ſuis urbibus commorantur? abſit ut de his quidquam ſiniſtrū loquar, qui apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt, per quos & nos Chriſtiani ſumus: qui claues regni cælorum habentes quodammodo ante iudicij diem iudicant. Item beatus Auguſtinus in eo opere, quod de pænitentiæ medicina inſcripſit, ubi multa de confeſſione, quæ ſacerdoti fit, docte, eleganterque locutus

Idem ſuper leuiticū hom.2.

Pſal.6.& 41.

Pſal.31.

Iac.5.

Hier.in epiſt. ad Heliodorū.

Auguſt. in lib. de pænit. medicina, quæ eſt hom.50.

tus eſt, ait. Iudicet ergo ſe ipſum homo uoluntate dum poteſt, & mores conuertat in melius, ne cum iam non poterit, etiam præter uoluntatem a Domino iudicetur: et cum in ſe protulerit ſeueriſſimæ medicinæ, ſed tamen medicinæ, ſententiam, ueniat ad antiſtites, per quos illi in Eccleſia claues miniſtrantur, & tanquam bonus incipiens eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito, a præpoſitis ſacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum, et ſupplex. Oſtendit id ipſum etiam diuus Ambroſius, dum aſſerit, poteſtatem relaxandi peccata ſacerdotibus a Chriſto conceſſam eſſe, non aliis. Item Angelomus eruditiſſimus quidem uir, & in exponendis ſacris litteris nulli fere ſecundus, dum libros Regum interpretatur, in eandem ſententiam dicit. Pecuniam uero pro delicto, & pecuniam pro peccatis non inferebant in templum Domini, quia ſacerdotum erat. hæc ſententia oſtendit quòd non quis proprio arbitrio facile ſe credere debet, ſed magis ſciat, quòd confeſſio peccatorum, & pænitentia, ſacerdotum indicio peragenda eſt, qui habet ſcientiam diſcernendi inter mundum, & immundum, & lepræ maculam diiudicare, & aut condemnare, aut mundum diſcernere. ſimilia his ſcribit Philippus presbyter, diui Hieronymi diſcipulus, in comentariis ſuper Iob: ait enim ſuper ea uerba: ſapientes confitentur, & non abſcondunt patres ſuos, ſiue, ut alij dixerunt, & non celauerunt parentes ſuos: ideſt, non defendendo ſe ipſos, ſuoſque patres, ſimiles ſui, uel

Ambr. uide de pænit. diſtin. 1. c. Deus.

Angelomus ſuper 4. lib. Regum, c. 12.

Philip. presbyter ſuper Iob, c. 15.

uel quos imitando, parentes habere cœperunt, peccata ſua, ſiue parentum non cooperiunt, nec abſcondunt, ſiue non celant patres ſuos, ideſt ſeniores, uel ſacerdotes, uel magiſtratus ſuos, quibus peccata ſalubre eſt confiteri. Item Ephrem Syrus libro primo admonitionum, de compunctione cordis, poſt multas criminum enumerationes ait. *Et ſi te deuictum in hoc ſenſeris, feſtina ſanitatem recipere, et ſtatue cuſtodiam in corde tuo, & per confeſſionem a ſpirituali patre, & a medico quære medelam, ne rurſum eadem patiaris: ſi ita ſollicitudinem habueris omni hora, ſaluabis mercimonium tuum, & Domino tuo placebis, & tibi metipſi utilis eris.* Approbat eandem ſententiá diuus etiam Cyprianus in ſermone de lapſis, ita ſcribens. *Confiteantur ſinguli quæſo fratres delictum ſuũ, dum adhuc delinquunt, & in ſæculo ſunt: dum admitti confeſſio eorum poteſt: dum ſatisfactio, & remiſſio per ſacerdotes facta, Deo grata eſt. conuertamur ad Dominum mente tota, & Pœnitentiam criminis dolore exprimentes, Dei miſericordiam deprecemur. Illi ſe anima proſternat, illi mæſtitia ſatisfaciat, illi ſpes omnis incumbat: ad Dominum toto corde redeamus, iram & offenſam eius, ieiunijs, fletibus, planctibus, ſicut ipſe admonet, placemus.* ſubibant olim ipſi epiſcopi labores pœnitentes reconciliandi: mox aucto credentium numero aut urgente neceſſitate in ceteros primum ſacerdotes, poſtremo ex eorum incuria, uel imperitia, in monachos quoque ſimiliter ſacerdotes

Ephrem Syrus lib. 1. admonit. c. 8.

Cyprianus in ſermone de lapſis.

dotes partita hæc prouincia eſt. In hanc ſententiam beatus Cyprianus concedit ſacerdotibus, ut eo abſente & neceſſitate mortis urgente pœnitentes per manus impoſitionem reconcilient, ut ad Dominum cum pace uenire poſſint. et synodus tertia Carthaginienſis, dum ait. Vt presbyter inconſulto epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſente epiſcopo, et neceſſitate cogente. Et alibi. Aurelius epiſcopus dixit: ſi quisquam in periculo fuerit conſtitutus & reconciliari diuinis altaribus petierit, ſi epiſcopus abſens fuerit, debet utique presbyter conſulere epiſcopum, & ſic periclitantem, eius præcepto reconciliare: quam rem debemus ſalubri conſilio roborare. Presbyteris autem una cum epiſcopis communem audiendis peccatorum cõfeſſionibus & pœnitentias indicendi fuiſſe prouinciam, teſtatur Moguntina synodus dum ait. Vt epiſcopi et presbyteri examinent qualiter confitentibus peccata diiudicent, & tempus pœnitentiæ conſtituant. Item synodus Aquisgrani congregata, in qua Carolus Magnus interfuit, Vnusquisque, inquit, Princeps unum presbyterum ſecum habeat, qui peccata confitentibus iudicare, & indicare pœnitentiam poſſit. Ad monachos quoque tranſmiſſos poſtea peccatores pœnitentes, ex Nicephoro ſuperius diximus. epiſcopus igitur, ac presbyter, ſiue e ſæculo, ut uocant, ille ſit, ſeu potius alicui mancipatus religioni, peccatorum audire confeſſiones, & pœnitentias præfigere, Eccleſiæ tamen ordine cuſtodito, poteſt: at is qui laicus

Cyprianus lib. 3. epiſt. 18.

Carthag. 3. syn. c. 31.

Carthag. syno. cap. 4. citatur a Burchardo lib. 18. c. 13.

Moguntina syno. c. 6. citatur a Burchar. lib. 19. c. 98.

Aquisgran. syno. Burchard. lib. 1. c. 118.

Thomæ 3. parte in add. q. 8. articu. 1.

Art. 4.

cus dumtaxat fuerit, et qui per ſacrum presbytera tus ordinem apoſtolico gradui non ſuccedit, id facere minime poteſt.
Act. 19. *Audiuit quidem Paulus in Epheſo, peccantium confeſſiones, ſicut ſcriptum eſt, multique credentium ueniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos: uerum audiuit ut apoſtolus, &*
Ioan. 20. *tanquam unus ex ijs, quibus dictum erat: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. remiſit & alibi pœnitentibus, condonauitque peccata, cum dixit. Si*
2. Cor. 2. *cui autem quid donaſtis, & ego, nam & ego quod donaui propter uos in perſona Chriſti. uerum non temere hoc ipſum fecit, ſed tanquam apoſtolus ius ſibi a Domino conceſſum uindicauit, nō uſurpauit indebitum. Audiuit ſicut Paulus, etiam Ioannes Baptiſta apud Iordanem peccata eorum, qui ad baptiſmum ab eo ſuſcipiendum contendebant, quemadmodum ſcriptum eſt. Baptizabantur ab illo in Iordane*
Marc. 1. *flumine, confitentes peccata ſua: uerū nec ipſe uulgaris homo, ſed ortus e tribu Leui, et ſacerdotis filius fuit, ſpeciatimque a Deo in miniſterium baptizandi uocatus. quod ſi baptiſmus, & qualis pœnitētia quæ in eo fit per ſacerdotes ordinata iuriſdictione, ſolummodo miniſtratur, cur pœnitentia, et peccatorum confeſſio, quæ fit poſt baptiſmum, per eoſ-*
Matth. 16. & 18. *dem ſacerdotes non fiat, cum claues regni cælorum non cuilibet e uulgo, ſed apoſtolis tantum, & per apoſtolos eorum ſucceſſoribus datæ ſint? Qualis autem debeat eſſe is, qui audiendis confeſſionibus, præfi-*

præſigendisque pænitentiis operam exhibet, Nicephorus erudite pariter, ac eleganter explicat, dum monachis ab epiſcopis hanc demandatam prouinciã ſcribit. ait enim. Nihil tale inexpertis, & indoctis permiſerunt. Equidem in aduerſa corporis ualetudine illum inquirimus, dicimusque medicum, qui tam re ipſa, quã uerbis male habentẽ curare queat. Itaque non recipiemus in hunc, uel illum, qui præter medici nomen, nihil habeat medici, ſed in eum, qui, ſicut expedit, medicum præſtare poterit. Porro ſi quis expertus ſit, & frugi, & ſacerdos etiam ſit, ad illum imprimis accedendum: nam poterit indigo prodeſſe, & accedentem ad ſe diligentius curare, reconciliare item, & corrigere. Puto autẽ nullum, qui pie, & caute huius moleſti temporis uitã agat, ex hoc ordine exauctorandum: ceterum ſi canonũ peritior fuerit, hoc amplius inſtruet: contra qui canonum uigorem, & ſuam cuiuſque delicti multam ignorarit, is nulli ulla in re unquam uſui eſſe poterit. Præterea qui fratrem in ſe, uno eodemque die ſepties peccantem, uenia cõdonandum, ſuſcipiendumque diiudicarit, is lapſos, quamuis et ſæpe, & multum deliquerint, quo pacto repellet, & abijciet? immo quo pacto ſpiritualibus increpationibus admonebit, utiliter inſtruet uitam futurã, & æterna ſupplicia in memoriam reducet? Vnum cauebit, ne indulgentius, & citra omnem obiurgationem abſoluat, fiatque alienorum criminum particeps. nam ſi qui peccauerant, lacrymis liqueſcant, & con-

Nicepho. chartophylax in epiſto. ad Theodoſium monachum.

& continenter malorum ſuorũ abalienationem meditentur, licet in eadem reincidant, ſuſcipiendos tamen eos duxeris, congruumque deputaueris locum: penes te enim facultas eſt, et, ut noſti menſuram caſtigationis adhibeas. Et Baſilius, *confeſſio, inquit peccatorum hanc habet rationem, quam habet uulnus aliquod corporis, uel paſſio, quæ medico demonſtranda eſt. ſi ergo non omnibus quis uitia, uel uulnera corporis ſui reuelat, nec quibuslibet, ſed ijs tantummodo, qui ſummæ peritiæ teſtimonium habent, & curæ, ac medelæ diſciplinam: ita confeſſio peccatorum fieri debet apud eos tantummodo, qui curare hæc prævalent, & emendare ſecundum quod ſcriptum eſt. Vos qui fortiores eſtis, infirmitatem infirmorum portate. hoc eſt auferte, & exportate per purgationem.* Paulinus Nolanus epiſcopus in libro, quem de Ambroſii uita conſcripſit, ait eum ita ſolitum eſſe flere, dum in confeſſione peccata alicuius audiret, ut etiam peccatorem confitentem in lacrymas deduceret: lapſus enim alienos tanquam ſuos deflebat; qua de re precari Dominũ ipſe in hæc uerba ſolebat. *Ego ſciebam, quòd non eram dignus uocari epiſcopus, quoniam dederam me ſæculo huic: ſed gratia tua ſum, quod ſum: & ſum quidem minimus omnium epiſcoporum, & infimus merito: tamen quia & ego laborem aliquem pro ſancta Eccleſia tua ſuſcepi, hunc fructum tuere, ne quem perditum uocaſti ad ſacerdotium, eum ſacerdotem perire patiaris: ac primum ut condolere norimus peccanti-*

Baſil. in regula monachorũ c. 98.

Rom. 15.

Paulinus Nolanus epiſcopus.

Ambr. lib. 2. de pænit. c. 8.

cantibus affectu intimo: Ego enim ſumma uirtus, quia ſcriptum eſt, & non gaudebis ſuper filijs Iuda in die perditionis eorum, quotieſcunque peccatum alicuius lapſi exponitur, compatiar, nec ſuperbe increpem, ſed lugeam, & defleam, ut dum alium fleo, me ipſum defleam, dicens iuſtificata eſt magis Thamar, quàm ego. Talem etiam ſe erga peccantes beatus Cyprianus exhibebat, dum caritatis, & chriſtianæ benignitatis ardore, cunctos ad pænitentiam reuerſos, hilare, & lætanter amplectendo excipiebat: ait enim. Opto omnes in Eccleſiam regredi, opto uniuerſos cõmilitones noſtros intra Chriſti caſtra, & Dei patris domicilia concludi: remitto omnia, multa diſſimulo, ſtudio & uoto colligendæ fraternitatis: etiam quæ in Deum cõmiſſa ſunt, non pleno iudicio religionis examino. delictis plusquam oportet remittendis, pæne ipſe delinquo, amplector prompta, & plena dilectione cum pænitentia reuertentes, peccatum ſuum ſatisfactione humili, et ſimplici confitentes. Quatenus autem ad ſecundam pertinet quæſtionem, is ex præcepto Eccleſiæ ad peccatorum confeſſionem faciendam tenetur, qui ea ætate & animi uigore eſt, ut diſcretionis iudicio bonum a malo, & iuſtitiam ab iniquitate cognoſcat: & recte. quo modo enim alioqui peccatum confitebitur, qui ex ætate, & mentis imbecillitate, utrum peccatum ſit, aut non ſit, diſcernere minime poteſt? usque ad legem, inquit Paulus, peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur, cũ lex

Gen. 38.

Cyprian. epiſt. 3. ad Corneliũ papã contra hæreſiarchas libr. primo.

Innocen. tertius in syn. generali c. omnis utriuſq; ſexus de pænit. & remiſſ.

Rom. 5.

non

non eſſet: quare non imputabatur, quia ubi non eſt lex, nec prævaricatio. cum igitur uoluntarium ſit peccatum, & contra legem, ſiue in cordibus, ſiue in tabulis conſcriptam, perpetretur, ubi neque uoluntas eſt, quæ peccatum agnoſcat, & uelit, neque lex, quæ illud prohibeat; peccatũ utique quod mortem perpetranti generet eſſe non poteſt. Ab hac autem confitendi neceſſitate, nullus ſexus excluditur, nulla condicio: quia ubicunque graue reperitur peccatum, ibi peccatorum confeſſio poſt baptiſmum neceſſaria eſt. Is autem, qui ad confeſſionem faciendam tenetur, nequaquam per nuncium, aut epiſtolam, ſed per ſe ipſum facere illam debet. neque unus poteſt pro multis crimina in confeſſione detegere, ſed idem ille qui peccauit, peccatum agnoſcere, & confiteri tenetur. dixi, inquit Dauid, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

De pænit. diſt. 1. c. quem pæniteat. Thomas 3. p. in add. q. 9. art. 3.

Pſal. 50.

De tempore, Cap. VIII.

VETVS *erat inſtitutum, ut peccatores ſub initium quadrageſimæ peccata ſacerdotibus confiterentur, legibusque pænitentiæ ab eis acceptis, illas per totum quadrageſimæ tempus exequendo adimplerent, & prope paſchale feſtum, ad ſacram accipiendam euchariſtiam per impoſitionem manus reconciliarentur. Veteris inſtituti ueſtigiũ hactenus ab Eccleſia ſeruatur, dum qua-*

quadrageſimæ initio ſuper fidelium capita, in pænitentiæ ſignum, cinis imponitur, in cinere enim & cilicio pænitentia grauium criminum peragebatur. Toletana tertia syn.c.13.

Vera hæc fuiſſe quæ dicimus, teſtatur liber, qui pænitentiale Romanum appellatur: ait enim: hebdomada priori ante initium quadrageſimæ, presbyteri plebium conuocent ad ſe populum, & diſcordantes canonica auctoritate reconcilient, & omnia iurgia ſedent, & tunc primum confitentibus pænitentiam dent, ita ut antequam caput ieiunii ueniat, omnes confeſſi pænitentiam acceptam habeant, ut liberius dicere poſſint, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Item synodus quædam uetus: presbyteri admonere debent plebem ſibi ſubiectam, ut omnis, qui ſe ſentit mortifero peccati uulnere ſauciatum, feria quarta ante quadrageſimam, cum omni feſtinatione recurrat ad uiuificatricem matrem Eccleſiam, ubi quod male commiſit, cum omni humilitate, et contritione cordis ſimpliciter confeſſus, ſuſcipiat remedia pænitentiæ, ſecundum modum canonicis auctoritatibus præfixum: Pænitentia quoque publica die primo quadrageſimæ, reuertentibus peccatoribus, & ſacco, cilicioque indutis imponebatur. meminit confeſſionis, quæ in quadrageſima fit, diuus etiã Chryſoſtomus in commentarijs ſuper Matthæum, & in expoſitione ſuper geneſim. Omnes uero pænitentes, quibus longius tempus, ueluti tempus, quod eſt plurium annorum, aut usque ad mortem, præfixum

Pænitentiale Rom. citatur a Burchardo lib. 19.c.1.

Matth.6.

Agathen. syn. uide apud Gratianum diſt.50. c.in cap.

Chryſoſt.ſuper Matth.hom. 42 & ſuper Geneſim hom.1.

F non

non erat, die quinto ante paſcha, tum cum ſacrificium publice in Eccleſia offerretur (uti Innocẽtius, & Damaſus teſtantur) reconciliabantur. Innocentij autem uerba ſunt hæc. De pænitentibus autem, qui ſiue ex grauioribus commiſſis, ſiue ex leuioribus pænitentiam gerunt, ſi nulla interuenit ægritudo, quinta feria ante paſcha, eis remittendum, Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. In ſynodo generali ubi Innocentius tertius præfuit cõtra deſides, ac parum cautæ conſcientiæ Chriſtianos ſtatutum eſt, ut omnes Chriſti fideles, qui diſcretionis iudicio, & rationis uſu præditi ſunt, ſemel ſaltem in anno ad confeſſionem peccatorum ſuorũ faciendam, & euchariſtiam in die paſchæ ſuſcipiendam teneantur, & hanc conſtitutionem, ne illa ſemel ſaltem in anno prætermittatur, catholica hodie ſeruat Eccleſia. Tempus autem pænitentiꝭ aptum, eſt omne iſtud, quod uiuimus: & ſi ad extremum usque uitæ pænitentia differatur, non tamen reiicienda eſt, quia non ſine ſalutis ſpe etiã ipſa peragitur. Si quis presbyter, inquit Iulius papa, pænitentiam abnegauerit morientibus, reus erit animarum, quia Dominus dicit, quacunque die conuerſus fuerit peccator, uita uiuet, & non morietur. Item Hannotenſis ſynodus. Infirmus, qui neceſſitate mortis urgente confitetur peccata ſua, ſub ea condicione a ſacerdote reconcilietur, ut ſi ei Dominus uitam donauerit, ſanitatemque reddiderit, ſecundum qualitatem delicti, & ſecundum canonum ſtatuta, et pænitentialium

Innoc. primus Decentio eugubino c.7. Damaſus epiſt. 4. de Chorep. & Hiſpalen. 2. syn. c.7.

C. omnis utriusque ſexus de pæni. & remiſſ.

De pæni. diſtinctione 7.

Iul. Papa citatur a Burchar. lib.18.c.21. Ezech.18. Hannoten. syn. cap.2. citatur a Burchardo lib. 18.c.3. lib.4. ſen. diſt. 30. diſtinct. d.

tialium probatorum, pœniteat. Item Nicephorus: Eos autem qui hinc emigrant in quocunque fuerint peccato detenti, ne ligaueris, ſed diuinorum, puro rumque ſacramentorum facito participes, qui citra pactum polluti, gratias agant Deo noſtro, quòd de faucibus diaboli liberati ſunt: parum in horum caſtigatione præſcribere operæpretium: non enim noſtrum eſt definire, ſed uoluntatis eorum, qui manda datis parent. tempus etſi longum ſit, non tamen amplius eſt quàm correctio requirat: forte nihil omnino commodi correpto afferet. uidimus autem et breui tempore multos multa abſterſiſſe, ac emendaſſe: alioquin etſi menſura temporis cui iniungatur, is tamen tandem declarabit an digne admiſſus, uel repudiatus fuerit, qui mandatis obtemperauerit. et ſi is qui in pœnitentia erat, ad mortem usque deduceretur, etiam nondum expleto pœnitentiæ tempore, reconciliabatur Eccleſiæ, ne ſine ſacri uiatici adiumento miſer ex hac uita migraret. Sane, inquit Innocentius, ſi quis in ægritudinem inciderit, atque usque ad deſperationem deuenerit, ei eſt ante tempus paſchæ relaxandū, ne de hoc ſæculo absque communione diſcedat. Verum etſi confeſſio, ac pœnitentia, quæ in extremo uitæ fit, ſuam quoque ſalutis habeat ſpem, certior tamen eſt illa, quæ ab homine ſano, uegetique animi peragitur, dum eo ſcilicet tempore, quo peccare quis poteſt, peccata ipſa dimittit, & ſatisfaciendi commoditas illi minime deeſt. Teſtis eſt huius ſententiæ diuus Auguſtinus,

Niceph. chartophylax ad Theodoſium monachum.

Innocen. Decētio Eugubino c. 7.

lib. 4. ſent. diſt. 20.

& iiſdem ferme uerbis diuus Ambroſius. Non ſolum, inquit Auguſtinus, poſt pænitentiam ab iſtis uitiis ſe homo ſeruare debet, ſed ante pænitentiam, dum ſanus eſt: quia ſi ad ultimum uitæ ſteterit, neſcit ſi ipſam pænitentiam accipere, ac Deo, & ſacerdoti peccata ſua confiteri poterit: ecce quare dixi, quia et ante pænitentiã bene uiuendum eſt, & poſt pænitentiam melius: quod dico attendite. debeo illud planius exponere, ne me aliquis male intellexiſſe intelligat. nunquid dico damnabitur? non dico. ſed dico etiam liberabitur? non. et quid dicis mihi? neſcio: non præſumo, non promitto, neſcio. uis te de dubio liberare? uis quod incertum eſt, euadere? age pænitentiam, dum ſanus es. et Ambroſius. Quid eſt bene uiuere poſt pænitentiam? doce nos: di co uobis: abſtinere ab ebrietate, a concupiſcentia, a furto, a malo eloquio, ab ipſo immoderato riſu, a uerbo otioſo, unde reddituri ſunt homines rationem in die iudicij. Ecce quàm leuia dixi, ut tacerem gra uia, & peſtifera: & aliud dico: non ſolum poſt pænitentiam ab iſtis intus homo obſeruare ſe debet, ſed & ante pænitentiam, dum ſanus eſt: quia neſcit ſi poſſit ipſam pænitentiam accipere, et confiteri Deo, & ſacerdoti peccata ſua: ecce quod dixi, poſt pænitentiam, dico ante pænitentiã, melius. Agens uero pænitentiam ad ultimum, et reconciliatus, ſi exierit, an ſecurus hinc exeat, ego non ſum ſecurus. pænitentiam dare poſſum, ſecuritatẽ dare non poſſum: quod dico, attendite. Ego illud planius expono: ne

aliquis

Aug. hom. 41.

Amb. in lib. exhortatorio ad pænitentiam agendam.

Matth. 12.

aliquis me male intelligat. Nunquid dico damnabitur? non dico: ſed nec liberabitur, dico. An aliud mihi dicis ſancte epiſcope? quid tibi dicam, neſcio. dixi, non præſumo, non promitto. prorſus neſcio de Dei uoluntate. Vis te frater a dubio liberare? uis quod incertnm eſt, euadere? age pœnitentiam dum ſanus es.

De loco, Cap. IX.

PERTINET *ad hoc caput, ut enarremus, an quis audire confeſſionem hominis, qui alterius dioceſis & parochiæ ſit, ex ueterum conſtitutionum iure, eique pœnitentiam imponere ualeat, & utrum eundem pœnitentem reconciliare poſſit. et certum eſt, eum ordinata iuriſdictione non poſſe. Placuit, inquit Vrbanus, ut deinceps nulli ſacerdotum liceat quemlibet commiſſum alteri ſacerdoti, ad pœnitentiam ſuſcipere, ſine eius conſenſu, cui prius ſe commiſit, niſi pro ignorantia illius, cui pœnitens prius confeſſus eſt. qui uero contra hæc ſtatuta facere tentauerit, gradus ſui periculo ſubiacebit. Item Felix Papa. Curandum uero maxime, & omni cautela prouidendum, ne quis fratrum, coepiſcoporumque noſtrorum, aut etiam presbyterorum, in alterius ciuitate, uel dioceſi pœnitentem, uel ſub manu poſitū ſacerdotis, aut eum, qui reconciliatum ſe eſſe dixerit, ſine epiſcopi, uel*

Vrban. 2. Papa in decret.

Felix Papa in epiſt. decret. c. 8. citatur a Burchardo lib. 19. c. 62.

presbyteri teſtimonio, & litteris, ad cuius pertinet parochiam, ſuſcipiat. Teſtes ſunt huius ſententiæ etiam ſynodus Cabilonenſis, cui Carolus Magnus interfuit, & Innocentius tertius, qui in concilio generali ſtatuit, ut quis non alieno, ſed proprio ſacerdoti peccata ſua confiteatur. Ex his ueteribus conſtitutionibus receptum eſt, ut monachi ſuo abbati, & ceteri religioni alicui mancipati ſuis præfectis, quocunque illi nomine cenſeantur, confeſſionem peccatorum ſuorum faciant. Hinc Petrus Cluniacenſis abbas ait. hac igitur de cauſa & a uobis abſui, & ad uos redire permiſſus ſum. his ita dictis, alijs remotis, Priorem aduocans, peccatum illud ei confeſſus eſt. a quo huius, & omnium peccatorum ſuorum abſolutione ſuſcepta, ſequenti die, prima hora diei, aſtantibus, & orantibus fratribus, læto uultu, bono fine, quieuit. Quis uero eſſet in Eccleſia pœnitentium locus, & quotnam illi eſſent, inferius in libello, quem de ueteribus pœnitentijs inſcripſimus, enarramus.

Cabilonẽ. syn. c. 45. Innoce. tertius in c. omnis utriuſque ſexus de pæni. et remiſſ.

Petrus abbas Cluniacen. lib. 1. de miraculis cap. 4.

De modo. Cap. X.

TRACTAMVS *in hoc capite, quænam peccata in confeſſione dicenda ſint, utrum grauia dumtaxat, quæ mortalia dicuntur, an etiam leuia, & utrum occulta, & cogitationes etiam animi: Item publice, an ſecrete, & ad aures ſolummodo ſacerdotis dicenda ſint: Itẽ an omnia*

ſpeciatim

ſpeciatim uni ex integro, uel potius quædam & pluribus, prout libuerit, omiſſis aliis, enarranda ſint. Nec non, quo ritu, quoque corporis habitu explicanda, & quo modo reo impoſita pænitentia ſit peragenda. Quatenus autem ad primam pertinet capitis diſtinctionem, communis theologorum ſententia eſt, ad mortalia ſolummodo enarranda ex præcepto quemquam teneri, ad leuia uero & quotidiana non niſi ex conſilio; & ita utilitatem ingentem homini eſſe, ſi leuia quoque fateatur, tam conſilii, & remiſſionis ratione, quàm etiam uerecundiæ merito, & ne per ignorantiam grauia, ueluti quædam leuia in confeſſione prætereantur. Verum ad explicationem grauium peccatorum, ſiue animo dumtaxat illa perpetrata ſint, ſiue etiam opere, homini non uoluntas, ſed neceſſitas confitendi incumbit. et recte hoc a patribus ſtatutum eſt: leuia enim quæ imbecillitatis humanæ potius lapſu, quàm uoluntatis decreto, committuntur, & in eis committendis eminus non cominus lex ſauciatur, plura remiſſionis habent remedia. quolibet enim religionis, ac pænitentiæ actu, etiam extra confeſſionem adhibito, expunguntur. At mortalia, ueluti quibus altiori uulnere animus ſit ſauciatus, & lex ipſa grauiori manu percuſſa, fortiora ſibi medicamenta, & perſpicaciorem requirunt medicum. Diximus ſupra ex Beda, & Proſpero Aquitanico, quòd grauioris lepræ immunditia, & ea crimina, quæ publicata homines a ſacra remouerent cõmunione, & iuris ordine con-

Thomæ 3.p. ſū. in add.q.8. art. 3.

De pæn. diſt.3. c. de quotidianis.

Thomas 3.p.q. 87.art.3. De conſ.diſt.3. aquam: Aug. libr. 1. de ſymbolo c.6.& Seleucianæ epiſto,108.

Beda ſuper epiſto. Iacobi c.5. Proſper in lib. de uita contemplatiua,c.7.

demnarent, ſacerdotibus in confeſſione pandenda ſint. In hanc ſententiam ita ſcribit Hugo de ſancto Victore: In *facienda autem confeſſione talis diſcretio eſſe debet, ut quotidiana, leuiaque peccata, alterutrum coæqualibus confiteamur: ut orationibus proinuicé ſaluemur. porro grauioris lepræ immunditiam ſacerdoti, ideſt noſtro ſummo prælaco, ſcilicet abbati pandere debemus, ut ad eius arbitrium iuſtificari curemus. Eſt enim quædam communis in Eccleſia confeſſio, & pænitentia, quam quotidie ad inuicem facimus; in qua oratione fuſa proinuicem pro quotidianis, & leuibus peccatis, indulgentiam & remiſſionem conſequimur. grauioris autem culpæ reatum, ſingulari confeſſione, ſacerdoti aperimus, & ſecundum eius conſilium, munere ſatisda tionis oblato, indulgentiam peccati obtinemus.*

Hugo de ſancto Victore tom.2. ſermone 53. inſtitutionis monaſticæ ſecundæ.

Itē beatus Auguſtinus in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus. Nam quem, ait, mortalia crimina poſt baptiſmum commiſſa premunt, hortor prius publica pænitentia ſatisfacere, & ita ſacerdotis iudicio reconciliatum, communioni ſociari, ſi uult non ad iudicium, & condemnationem ſui eucharistiam percipere. ſed & ſecreta ſatisfactione ſolui mortalia crimina non negamus. ſed mutato prius ſæculari habitu, & confeſſo religionis ſtudio, per uitæ correctionem, et iugi, immo perpetuo luctu, miſerante Deo; ita dumtaxat, ut contraria pro his, quæ pænitet, agat, & eucharistiam omnibus diebus dominicis ſupplex, & ſummiſſus usque ad mortem percipiat.

Aug. c. 53. de eccleſiaſticis dogmatibus.

Hæc eadem aſſerit, & iiſdem uerbis in libr. de pænit. medicina quæ eſt homil. 50.

Quod

Quod autem homines, qui Deum timent, & qui ex uehementi Chriſtianæ religionis amore, culpā etiam leuem reformidant, utiliter minima quoque facinora confiteantur, teſtatur Petrus abbas Cluniacenſis, dum cuiuſdam ſancti uiri obitum his uerbis refert. Flebat ita de leuibus, ac ſi de grauiſſimis peccatis, quantum poterat ſinceriſſima ac luctuoſa confeſſione, animam, corpusque ſuum benigno Saluatori affectuoſiſſime cōmendabat: quodque nullo modo tacendum eſt, cum in cōfeſſione illa, glorioſæ matris Domini occurriſſet caſu aliquo memoria, iam ſingultus ſingultibus, fletus fletibus iungebantur, & confeſſionis continuatio ad illius nomen, cuius ſe maxime auxilio ſaluari ſperabat, lacrymoſæ deuotionis augumento interrumpebatur. Item cum morbi importunitas eum confitentem aliquando uehementius aggrauaret: Sancte ſpiritus, inquit, auxiliare mihi, & ſi quid de confeſſione oblitus ſum, mihi ad memoriam reuoca: hoc non ſemel, nec bis tantum, immo ſæpe dicens docebat me quanta cura quilibet deberet confiteri maiora, cum ipſe tanto ſtudio confiteretur etiam minora. deinde a me abſolutus, pœnitentia indicta, confeſſione fidei, & dominica oratione, me iubente præmiſſa, biduo ſuperuixit. Item synodus quædam uetus: cuius Burchardus meminit, ait. Non ſolum autem ille qui mortale aliquid commiſit, ſed etiam omnis homo, quicunque ſe recognoſcit, immaculatam Chriſti tunicā, quam in baptiſmo accepit, peccati macula polluiſſe, ad proprium

Petrus abbas Cluniacen. lib. 5. epiſt. 39. ad abbatem de Rupibus.

ſacer-

ſacerdotem feſtinet uenire: & cum puritate mentis omnes transgreſſiones, omnia peccata, quibus Dei offenſam ſe incurriſſe meminit, humiliter confiteatur, & quidquid a ſacerdote fuerit iniunctum, ac ſi ab ipſo omnipotentis Dei ore eſſet prolatum, ita diligenter attendat, etiam cautiſſime obſeruet, occulta deinde peccata ſacerdotibus in confeſſione pandenda, dubiũ minime eſt: dilucide hoc aſſerunt Proſper Aquitanicus, Gregorius, Hieronymus, atque Nicephorus: nos alia ex cauſa eorum uerba ſupra poſuimus, quapropter iteranda hoc in loco nequaquam ſunt: Gregorius cogitationes etiam, tentationesque, menti paſtorum indicari ſolitas, prodit: hoc enim conſilij, remedijque quod a ſacerdote quis refert, ratione expedit: præterquod mente etiam per conſenſum peccatur, leuius autem, uel grauius, prout res ipſa perpetranda, leuior, aut grauior fuerit.

Matth. 5. *Qui uiderit, inquit Chriſtus, mulierẽ ad concupiſcendũ eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.*

Exod. 20. *Lex ipſa in hanc ſententiam prohibet, ne quis cum alterius damno concupiſcat uxorem, aut rem proximi ſui. peccatum autem eſſe huiuſmodi præfinitũ deſiderium, ait diuus apoſtolus, per legem ſe fuiſſe edoctum.*

Rom. 7. *concupiſcentiam, inquiens, neſciebam, niſi lex diceret, non concupiſces. Petrum, apoſtolorum principem, huius fuiſſe ſententiæ, ut cogitationes malæ paſtoribus indicarẽtur, aſſerit Clemens martyr, eius diſcipulus, in hæc uerba ita ſcribens.*

Clemens Papa martyr epiſt. 1. ad Iacob. fratrem Domini. *Inſtruebat actus ſuæ uitæ, omni hora cuſtodire, &*

in omni loco Deum reſpicere: firmiter ſcire cogitatio nes malas cordi ſuo aduenientes: mox ad Chriſtum allidere, & ſacerdotibus Domini manifeſtare. aſſe rit hoc idem diuus etiam Cyprianus, ita ſcribens. Quamuis nullo ſacrificii, aut libelli facinore conſtri cti, quia tamen de hoc uel cogitauerunt, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter, & ſimpliciter confi- tentur, exhomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam paruis li cet, & modicis uulneribus exquirunt ſcientes ſcri- ptum eſſe, Deus non irridetur. Publica autem pec cata, quæ in Eccleſiæ ſcandalum uenerant, publice, & in conuentu fidelium detegebantur, occulta au- tem, & quæ clanculum peracta erant, non ita, ſed ad aures tantum epiſcopi, uel ſacerdotis. Euſebius Cæſarienſis, dum cuiuſdam uiri Natalis nomine, publicum quendam errorem refert, publice illum in Eccleſia propalatum quoque fuiſſe, ita ſcribit. Con feſſor quidam erat apud nos Natalis nomine, noſtra adhuc cófeſſus memoria. hic deceptus aliquando ab Aſclepiodoto quodam, & Theodoto, collectarijs, qui ambo diſcipuli erant Theodoti Coriarij illius, qui primus pro hac ſtulta aſſertione ab Eccleſiæ ſo- cietate depulſus eſt, a Victore tunc Vrbis Romæ epi ſcopo, acquieuit, ut accepto ab eis ſalario, epiſco- pus illius hæreſis nominaretur, certa pactione, ideſt centum quinquaginta denarijs menſtruæ præſtatio- nis. qui Natalis cum ſe in hoc deceptus locaſſet, fre quenter admonebatur in ſomnis a Domino: quia miſeri-

Cyprianus in ſermone de lapſis.

Gal. 6.

De pæn. diſt. 1. c. quis aliquando. §. ſecreta. & §. ſimiliter. §. præmiſſis &. §. in quo.

Euſebius Cæſarien. lib. 5. hiſt. eccleſiaſticæ c. 28.

miſericors Deus, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus nolebat martyrem ſuum, qui ſibi in multis paſſionibus teſtis extiterat, de Eccleſia perdere. Sed cum negligentius ſuſciperet uiſiones, primatus amore, et turpis lucri deuictus illecebra, ad ultimum a ſanctis Angelis per totam noctem uerberatus, et pœnis grauibus excruciatus, mane conſurgens, cilicio ſe induit, & cinere conſperſit, ac multis lacrymis errorem ſuum deflens, ante pedes ſe Zepherini epiſcopi proſternit, & ueſtigijs omnium, non modo clericorum, ſed etiam laicorum, multa cum lamentatione prouolutus, in lacrymas, & miſerationes omnem prouocauit eccleſiam, ut indulgentiam ſibi a Chriſto continuis, & iugibus pro ipſo precibus implorarent, oſtendente ſimul in conſpectu omnium liuores corporis eius, et cicatrices, quas pro nominis ipſius confeſſione ſuſceperat. uix aliquãdo in communionem eccleſiaſtici corporis reuocatus eſt. Similia quædam his ſcribit Ireneus, Polycarpi diſcipuli Ioannis euangeliſtæ auditor, ita dicens. Adhuc etiam ut amatoria, & adlectantia efficit, ut & corporibus ipſarum contumeliam irroget, hic idem Marcus quibuſdam mulieribus, etſi non uniuerſis. hæ ſæpiſſime conuerſæ ad Eccleſiam Dei, confeſſæ ſunt, et ſecundum corpus exterminatas ſe ab eo uelut cupidine, & inflammatas, ualde illum dilexiſſe: ut & diaconus quidam eorum, qui ſunt in Aſia, ſuſcipiens eum in domum ſuam, inciderit in huiuſmodi calamitatem: nam cum eſſet uxor eius ſpecioſa, & ſenten-

Ireneus libr. 1. aduerſus hæreſes c. 9.

ſentẽtia, et corpore corrupta eſſet a mago iſto, et ſecuta eũ eſſet multo tempore, poſt deinde cum magno labore fratres eã conuertiſſent, omne tempus in exhomologeſi cõſumauit, plangens, et lamentans ob hãc quã paſſa eſt ab hoc mago corruptelam. Theodoſius Imperator publicam ideo egit, Auguſtino auctore, pœnitentiã, quia peccatũ eius, ob Theſſalonicenſium urbem publice obſidione cæſam, inuulgatum erat. Origenes ob utilitatem confitentis, & Eccleſiæ ædificationem publice hanc confeſſionem fieri ſolitam aſſeuerat. et quia publice peccantes per publicam pœnitentiam reconciliabantur, propterea Alexander Papa ait. Vt nemo presbyterorum xenium, uel quodcunque emolumentum temporale, immo detrimentum ſpirituale a quocunque publice peccante, ac inceſtuoſo accipiat, ut epiſcopo ac miniſtris eius peccatum illius reticeat: nec per reſpectũ cuiusque perſonæ, aut conſanguinitatis, uel familiaritatis, alienis communicans peccatis, hoc epiſcopo innoteſcere detrectet: nec a quoquam pœnitente, aut gratia, aut fauore, aut munus ſuſcipere præſumat, aut minus digne pœnitentem ad reconciliationem adducat, & ei teſtimonium reconciliationis ferat, uel quocunque liuore alium quemlibet dignius pœnitentem a reconciliatione remoueat: quia hoc ſymoniacum, & Deo, & hominibus contrarium eſt. Deferebat autem ad epiſcopum, aut miniſtros eius presbyteri grauiora, et inuulgata crimina, quæ tamen per excurrentem uulgi famam aliunde quam in cõfeſſione perce-

Aug. hom. 49.

Origenes ſuper pſal. 37. hom. 2.

Alex. Papa in decret. citatur a Burchar. lib. 19. c. 100.

perceperant, nam crimina ſecrete in confeſſione dicta, reuelari non poſſunt. At non ſolum clerici, ſed etiam laici crimina ad epiſcopos deferebant, ut ea emendarent. hinc diuus Auguſtinus ait. Plerique autem boni Chriſtiani propterea tacent, & ſufferunt aliorum peccata, quæ nouerunt, quia documentis ſæpe deſtituuntur, ut ea quæ ipſi ſciunt, iudicibus eccleſiaſticis probari poſſint. quamuis enim uera ſint quædam, non tamen iudici facile credenda ſunt, niſi certis indicijs demonſtrentur. nos uero a communione quemquam prohibere non poſſumus, (quamuis hæc prohibitio nōdum ſit mortalis, ſed medicinalis) niſi aut ſponte confeſſum, aut aliquo ſiue ſæculari, ſiue eccleſiaſtico iudicio accuſatum. Cum autem publicus reconciliabatur peccator, in eccleſiæ ipſius propatulo, & editiori loco manus illi imponebatur. unde Carthaginienſis tertia synodus, Cuiuſcunque, inquit, pænitentis publicum et uulgatiſſimum crimen eſt, quod uniuerſam Eccleſiam commouerit, ante abſidem manus ei imponatur. At ſi peccatum erat occultum, occulta quoque pænitentia, & confeſſione remittebatur. propterea ſuper pænitentes conſtitui ſolebat presbyter, qui ſecretum ſeruare noſſet. Verum eſſe utrunque quod dicimus, teſtatur Moguntina synodus, dum ait, ſed diſtinctio ſeruāda eſt inter pænitentes publice et abſconſe. nam qui publice peccat, oportet ut publice multetur pænitentia, et ſecundum ordinem canonū pro merito ſuo excommunicetur, & reconcilietur.

Aug. in libr. de pæni. medicina

Carthaginien. 3. syn. c. 32.

Moguntina syno. c. 10. citatur a Burchar. lib. 19. c. 28.

Item

Item Toletanum Concilium. De uiris ordinatis, quorum occulta peccata ſunt, nec manifeſte ab aliquo argui poſſunt, ſi ſalubriter compuncti pro peccatis ſuis, confeſſionem epiſcopo, ſiue presbytero occulte faciunt, bonum mihi uidetur, ut ſecundum id quod ſibi decretum fuerit ab epiſcopo, ſiue presbytero, pœnitentiam agant, non tepide, nec tarde, ſed feruenter, & ſollicite, ac ſi ſe ueniam peccatorum a Domino percepturos, & gradū ſe retenturos confidant. Item Auguſtinus, ut eſt penes Burchardum, ſiquis inceſtum occulte commiſerit, & ſacerdoti occulte confeſſionem egerit, indicetur ei remedium canonicum, quod ſubire debuiſſet, ſi eius facinus publicatum fuiſſet: uerum quia latet commiſſum, detur ei a ſacerdote conſilium, ut ſaluti animæ ſuæ pro occulta pœnitentia proficiat: hoc eſt ut ueraciter ex corde ſe grauiter deliquiſſe confiteatur, & per ieiunia, & eleemoſynas, uigiliasque ac ſacras orationes, cum lacrymis ſe purgare contendat, & ſic ſe ad ſpem ueniæ pro miſericordia Dei peruenire confidat. et alibi. Id tamē agat, quod non ſolum ipſi proſit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam ceteris ad exemplum, ut ſi peccatum eius non ſolum in graue eius malum, ſed etiam in tanto ſcandalo aliorū eſt, atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ uidetur, ac plebis, publicam agere pœnitentiam non recuſet, ne letali plagæ per timorem addat tumorem, cum tanta eſt plaga peccati, & impetus morbi, ut medicamenta corporis, & ſanguinis Domini differenda ſint,

Toletana syn. citatur a Burchar. lib. 19. c. 151.

Burchar. lib. 19 c. 36.

Aug. de pœnitētiæ medicina, hom. 50.

ſint, auctoritate antiſtitis debet ſe quis remouere ab altari ad agendam pænitentiam, & eadem reconciliari. poterat autem, ſi quis uoluiſſet, in publico eccleſiæ conuentu, uel propoſitus libellis, uel propria confeſſione, ſuum etiam occultum prodere crimen, idque aliquando factitatum memoriæ proditur: uerum Leo primus Pōtifex, ter magnus a ueteribus appellatus, execrabilem hanc eſſe conſuetudinem, & omnino abolendam his uerbis aſſerit. Illam etiam contra apoſtolicam regulam præſumptionem, quam nuper agnoui a quibuſdam illicita uſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoueri. De pænitentia uidelicet, quæ ita a fidelibus poſtulatur, ut de ſingulorum peccatorum genere, libellis ſcripta profeſſio publice recitetur, cum reatus conſcientiarū ſufficiat ſolis ſacerdotibus indicari cōfeſſione ſecreta. quamuis enim plenitudo fidei uideatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non ueretur, tamen quia non omnium huiuſmodi ſunt peccata, ut ea quæ pænitentiam poſcunt, non timeant publicare, remoueatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi a pænitentiæ remedijs arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt, inimicis ſuis ſua facta reſerare, quibus poſſunt legum cōſtitutione percelli: ſufficit enim illa confeſſio, quæ primū Deo offertur, tunc etiam ſacerdoti: qui pro delictis pænitentium precator accedit. tunc enim demū plures ad pænitentiā poterunt prouocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia

Leo. epiſto.78. uniuerſis epiſcopis per Campaniā Samniū & Picenū conſtitutis.

con-

conſitentis. Datú ſecundo nonas martij, Recimero Conſule. Dammabilem hanc fuiſſe conſuetudinem, ea quæ Conſtantinopoli propterea euenerunt, clare oſtendunt: nam cum mulier quædam occultú, quem cum diacono pluries habuiſſet illicitum in eccleſia, quò pœnitentiæ cauſa conueniebat, concubitum publice confeſſa eſſet, populus in eam rabiem aduerſus ſacerdotes Dei, pro eccleſiæ iniuria uindicáda, exarſit, ut Nectarius urbis epiſcopus has publicas confeſſiones, et pœnitentias, presbyterumque eis præſidenté remouerit. non enim confeſſioné, quæ ſecrete fit ſacerdoti, uti hæretici putant, Nectarius remouit, ſed eam quæ uelut in theatro ſub teſtimonio eccleſiaſtici populi fiebat. hoc autem uerú eſſe, tam ex Sozomeni uerbis, quàm etiam ex ea, quam refert hiſtoria, dilucide conſtat. certe Socrates, in eadem hiſtoria, presbyterum, qui ſuper pœnitentes a Decij perſecutione propter Nouatianos, qui lapſis communicare nolebant, usque ad ea tempora conſtitutus fuerat, remotum aſſerit: at cum cófeſſio Decij tempore nequaquam cœperit, ſed diuinum, ut ſupra probauimus, ſit inſtitutum, pœnitentiæ genus, illud ſcilicet quod occaſione Decianæ perſecutionis cœperat, abdicatum, non ipſam pœnitentiam liquido apparet. Chryſoſtomus, qui poſt Nectarium Conſtantinopolitanam ſanctius, & eruditius rexit eccleſiam, cum confeſſionis quæ ſacerdotibus fit, tam clare pluribus in locis honorifice meminerit, librumque, qui impreſſus non eſt, diſerte, περὶ τῆς

Sozomen. lib. 9. hiſto. trip. c. 35.

Socrates lib. 9. hiſt. trip. c. 35.

Chryſoſt. hom. 3. in Matth. & lib. 2. & 3. de ſacerdotio.

μετανοίας, καὶ ἐξομολογήσεως, de pœnitentia ſcilicet, & confeſſione conſcripſerit; cumque hac eadem de re doctiſſimus eius ſermo ſuper illa uerba: Quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo: in Gallia apud regiam bibliothecam, nec ipſe etiam editus, græce, ut ipſe met uidi, in uolumine unius & quadraginta ſermonum eius aſſeruetur, proculdubio confeſſionem ipſam aut non inuenit abdicatam, aut ut male abdicatam ſtatim reſtituit. Sicut igitur publica peccata, publica pœnitentia emendabantur, ita occulta, ſecreta confeſſione, & ſatisfactione dimittebantur, quod fieri etiam in mortalibus, & grauioribus peccatis poſſe, diuus Auguſtinus, ut ſupra retulimus confitetur. Secretā hanc confeſſionem, quoniam ad aures tantum ſacerdotis fit, auricularē appellant, quo nomine utitur etiam Petrus Bleſenſis, diui Thomæ Cantuarienſis archiepiſcopi intimus, & dilectus amicus. edidit enim libellum, quē de confeſſione auriculari inſcripſit. Quatenus autem ad aliam pertinet quæſtionem, dubium minime eſt, quin omnia peccata ſint detegenda, & ſpeciatim etiam enumeranda, cauſis quoque, &, ut uocant, circunſtantijs, fideliter explicatis: idque non pluribus, prout libuerit, uerecundiæ cauſa, ſed uni tantum ſacerdoti fieri debet. Nam pudore, aut alio quopiam humano reſpectu, confeſſionē ubi memoria ſuppetit, & fieri commode poteſt, in plures ſacerdotes diuidere, minime licet. Si funibus peccatorum ſuorum, ut ait ſapiens, unuſquiſque conſtrin-

Petrus Bleſen. uide inter epiſto. eius numero 203.

Prou. 5.

conſtringitur, quidnam prodeſſet homini, ſi per ſacerdotum manus certis reſolutis uinculis, aliis quibuſdam remaneret innexus? aut quo modo ſanus uocari poſſet ille, ſi cum multis diſtenderetur morbis, non ab omnibus, uerum a certis ſolummodo liberaretur? Qui offendit, inquit apoſtolus, in uno, factus eſt omnium reus: certe nil prodeſt naui, quòd fortibus & perpulchris e robore tabulis, repagulisque munita aduerſus undas ſit, ſi per unum tantum foramen fluctus in eam, quibus obrui poſſit, ingrediantur. propterea Cabilonenſis ſynodus hanc ſententiam ſtatuens, ita teſtatur. Sed et hoc emendatione indigere perſpeximus, quòd quidá dum confitentur peccata ſua ſacerdotibus, non plene id faciunt. Quia ergo conſtat hominem ex duabus eſſe ſubſtantiis, anima uidelicet, & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, ſolerti indagatione debent inquiri ipſa peccata, ut ex utrisque plena ſit confeſſio: ſcilicet ut et ea confiteantur, quæ per corpus geſta ſunt, & ea, quibus in ſola cogitatione delinquitur. Inſtruẽdusq; eſt itaque peccatorum ſuorum confeſſor, ut de octo principalibus uitiis, ſine quibus in hac uita difficile uiuitur, confeſſionem faciat: quia aut cogitatione, aut, quod grauius eſt, opere, eorum inſtinctu peccauit: odium enim, inuidia, ſuperbia, uel ceteræ huiuſcemodi animæ peſtes, tanto periculoſius lædunt, quanto ſubtilius ſerpunt. Item Innocentius ſecundus. Presbyteri falſis pœnitentiis laicos

Iac.2.

Cabiloné. ſyn. c.31. citatur a Burchard. libr. 19.c.34.

Innocen. II. uide de pænit. diſt.5.c. ult.

non damnent. falſa eſt cum de uno crimine tantum agitur, alijs omiſſis: uel cum mala negotia non relinquuntur: & Pænitentiale Romanum, ut ipſiſmet uerbis a Burchardo Vormatienſi epiſcopo citatur, cum ad interrogationes omnium criminum, quæ in eo ſingulatim fiunt, uenerit, ait, uidens autem eum uerecundantem rurſus proſequatur. fortaſſis cariſſime non omnia quæ geſſiſti ad memoriam modo ueniunt: ego te interrogabo: tu caue ne diabolo ſuadente aliquid celare præſumas; & tunc eum ita per ordinem interroget. feciſti homicidium, & cetera. Neque etiam diuidi confeſſio debet, ut uni ſacerdoti quædã, alia uero crimina alteri patefiant. quoniam ſuperbiæ opus eſt, ideo diuidere confeſſionem, ne quis probitatis, & ſanctitatis nomen iam ſibi partum apud aliquem amittat: præterquod commodum ſalutis remedium, conſiliumque ei qui cuncta ſimul non confitetur, ſi memoria ſuppetit, dari non poteſt. cõfeſſionem meam inquit Hugo, diuiſi ut diuerſis Sacerdotibus diuerſa manifeſtarem: & ita uenia carui, ad quam per partes peruenire putaui: execranda nanque fictio eſt peccatum diuidere et ſuperficie tenus radere, non intrinſecus eradicare. non enim utilis eſt confeſſio, niſi ſit in oris ueritate, & cordis puritate. ſpeciatim quoque peccata enumeranda eſſe ſatis conſtare ex euangelicis uerbis uidetur: nã cum apoſtolis poteſtas a Chriſto tributa ſit, ut uel remittant, ſoluantque, uel retineant, & ligent peccata, & ita tum remiſſio, tum etiã retentio

Burchard. lib. 19. c. 4.

Hugo de ſancto Victore inſtitutionis monaſticæ primæ c. 10.

Matt. 16. & 18.

Ioan. 20.

tio ad eos ſpectet, utique utrumnã remittenda ſint, aut potius retinenda, cognoſci minime poteſt niſi explicentur, & enumerentur ipſa peccata: ridicula enim eorum hæreticorum ſententia eſt, qui ſatis conſcientiæ fidelium factum eſſe putant, ſi quis cõfuſe, & generaliter tantum, peccatorem ſe eſſe coram ſacerdote confiteatur, ipſis interea peccatis non explicatis, neque enumeratis: unde enim ita dictis ſciet ſacerdos, ſi remiſſione indignus ſit ille qui cõfitetur, an non? nam quod omnes, ut ipſi putant, nullo interim facto diſcrimine, abſoluendi ſint, Chriſtus ipſe non aſſerit, immo dilucide contradicit, cum poteſtatis ligandi, retinendique peccata, mentionem facit. ſi igitur ſunt quædam, quæ dimitti, & alia quæ retineri debent, utique hæc facultas illis non explicatis confuſa eſt. geſſerunt huius rei figuram teſtamenti ueteris ſacerdotes quibus in diiudicanda lepra poteſtas tributa erat: nam ut agnoſcerent an homo, uel domus, aut etiam ueſtis uere leproſa eſſet, opus erat ut lepram diligenter conſiderarent, attenderentque non ſolum colorem, ſquammas, & morbi ſuperficiem, ſed etiam profunditatem, & temporis locique uarietates. quibus diligenter peractis, non ſolum an homo leproſus eſſet, præfiniebant, uerum etiam lepram a lepra diſtinguebant non ſecus quam cum diuerſis peccatis, quæ a lege enumerantur, diuerſa quoque remedia, eodem ita ſanciente Moyſe exhibebant. ſicut igitur in Eccleſia remiſſionis clauem, utpote omnibus neceſſariam, ſummopere extolli-

Leuit. 13.

Leu. 4. 5. 6. 7. 9. 12. 14. 16. & c.

tollimus, & prædicamus; ita retentionis quoque clauem non abdicamus. nam etſi hæc propter illam ultra cauſas alias ſit inſtituta, cum homo ideo ligetur, multisque eccleſiaſticis ſubdatur, ut reſipiſcens abſolui aliquando poſſit, neceſſaria tamen ipſa etiam eſt, & legis officio, ut ad Chriſtum, hoc eſt remiſſionis clauem, quis perueniat, fungitur. Sozomenus cum aſſerit minora peccata pro pudore confeſſionis, et ſubtilitate examinantiū olim perpetrari ſolitū eſſe, quidnā aliud dicit niſi quòd peccata ipſa explicabātur et enumerabātur? Itē quid aliud Leo, dum ne publice occulta peccata per libellos enarrentur, prohibet, ne quis puniri a iudice poſſit, et ne ceteri a confitendo deterreantur? et Origenes dum ſacerdoti non ſolum languorem, uerum etiam languoris cauſam explicandam eſſe prodit? & quidnam aliud aſſerunt Paulini uerba, dum Ambroſium ad ſingula quæque peccata confitentium lugentē introducunt? certe diuus Hieronymus, dum Matthæi uerba de clauibus loquentis exponit, ait, quod epiſcopus, aut ſacerdos tunc cognoſcet, qui ligandus ſit, quique ſoluendus, cum peccatorum audierit uarietates. Longum et ſuperfluum eſſet, hoc in loco repetere ueterum ſanctorum ſententias, quas alibi in opere ponimus: & tamen pauci eorum ſunt, ex quorum uerbis hæc ueritas non eliciatur. omittimus etiam conſulto, quæ ad hanc eandem rem pertinentia, diſertiſſime e græcis conſcripſerunt, Ioannes Climachus, Nilus, Iſaacus, Maximus, & Thalaſ-

Sozomen. libr. 9. hiſt. tripar. c. 35.

ſius

ſius monachi, nec non Marcus abbas multis in locis, præſertim in libro, qui in Gallia apud bibliothecam regiam hoc titulo aſſeruatur, Περὶ τῆς μετανοίας τοῖς πᾶσι πάντοτε προσηκούσης. *certe Burchardus Vormatienſis epiſcopus, trium pænitentialium antiquorum mentionem facit, Romani ſcilicet, & eius, quod a Theodoro Cantuarienſi, & alterius, quod a Beda presbytero compilatum fuit: in his autem non ſolum uera eſſe, quæ dicimus, demonſtratur, uerum etiam interrogationes, & pænitentiæ de ſingulis ponuntur, & explicantur. Quod dicimus de peccatorum enumeratione, dicimus etiam de cauſis, et, ut uocant, de circumſtantijs, una cum eodem Paulino, & beato Gregorio. Petrus Bleſenſis in eandem ſententiam ait. omnes circumſtantias peccatorum is qui confitetur aperiat, cauſam, locum, tempus, modű, et quidquid menſuram reatus exaggerat. et ſynodus Vormatienſis, Pænitentibus, inquit, ſecundum differentiam peccatorum, ſacerdotis arbitrio pænitentiæ decernantur. debet itaque ſacerdos in pænitentia danda ſingulorum cauſas ſingulatim conſiderare, originem quoque modumque culparum, & affectus, gemitusque delinquentium diligenter examinare, manifeſteque cognoſcere: temporum etiam, & perſonarum, locorum quoque, et ætatum qualitates inſpicere: ut etiam pro conſideratione locorum, ætatum, uel temporum, ſeu pro qualitate delictorum, atque gemituű uniuſcuiuſque delinquentis, a ſacris regulis oculos non reflectat. hæc*

Petrus Bleſen. in opere de con feſſ. auriculari epiſt. 103.

Vormatien. ſyno. c. 25.

ſynodus : Ritus autem, ſtátusque corporis in confeſſione, & pænitentia facienda, quiſnam antiquo tempore eſſet, latius infra in libello, quem de ueteribus pænitentijs inſcripſimus, explicamus. hic autem ſatis fuerit, ſi dixerimus, quòd magna cum humilitate fieri confeſſio debet, utpote quæ non ipſi tantum ſacerdoti, ſed Deo, cuius uice in terris ille fungitur, medio ſacerdote fit. Peccator igitur cum lacrymis, & gemitu ſeipſum accuſet, non excuſet: neq; ſuperbo corde, & elata ceruice ſcelera referat, ſed humilis, animoque contrito: quoniam, ut ait Dauid, Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicit. Neque culpam in alium quempiam, uel in ipſum diabolum, ſe excuſando reijciat: uti primi omnium parentes, Adam ſcilicet, & Eua fecerunt, dum ille uxorem ſibi a Deo datam criminaretur, & ita ipſum, qui dederat, Deum quodammodo accuſando impeteret, hæc uero culpam omnem in ſerpentem reijceret: nam etſi diabolus ad ſcelera, & facinora nos ſuggerendo, tentandoque impellat: nos tamen diuino, quod nobis adeſt, auxilio, liberoque arbitrii, uoluntatisque conſenſu, abdicare a nobis tentationem ipſam poſſumus: itaque ſi peccamus, nos ipſos qui conſenſimus, diuinamque opem ad repellendas tentationes malas, non inuocauimus, non hominem aliquem, aut diabolum, & quod impium eſt, Deum ipſum criminemur: nam Deus intentator, ut inquit apoſtolus, malorum eſt, nec ſinit nos tentari ſupra id, quod poſſumus, ſed facit cum tentatione

Pſal. 50. Gen. 3. 1. Petr. 5. Matth. 13 Ioan. 13. Iac. 1. 1. Cor. 12.

tione prouentum. flexis igitur genibus regulariter confeſſio fieri debet, & ita Natalem epiſcopum hæreſi quondam pollutum, illam feciſſe, ex Euſebio Cæſarienſi ſupra retulimus. id ipſum prodit Auguſtinus, dum ait. reſiſtit mihi filius peſtilentiæ, & erubeſcit genu figere ſub benedictione Dei. Antiquiſſimum autem hoc inſtitutum fuiſſe, & apoſtolorum cœpiſſe tempore, Dionyſius Areopagita Pauli apoſtoli diſcipulus teſtatur, dum Demophilum quēdam reprehendit, quòd peccatorem coram ſacerdote pro conſequenda uenia peccatorum procidentem, repulerit, & inflicto etiam calce abiecerit. ait enim. Tu uero, ut tuæ litteræ indicant, procidentem ſacerdoti impium, atque peccatorem neſcio quo pacto, contra diſciplinæ ordinem aſtans calce abieciſti, ac repuliſti, cum ille quidem uerecunde, quod oportuit fateretur ſe ad peccatorum remedia quærenda ueniſſe. Item Tertullianus Afer, dum homines ad confeſſionem criminum, & publicā agendam animat pænitentiam, ait. pleroſque tamen hoc opus, ut publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre præſumo, pudoris magis memores quàm ſalutis: uelut illi qui in partibus uerecundioribus corporis contracta uexatione, conſcientiam medentium uitant, et ita cum erubeſcentia ſua pereunt. et infra: ceterum inter fratres, atque conſeruos, ubi communis ſpes, metus, gaudium, dolor, paſſio, quia cōmunis ſpiritus de communi Domino, & Patre, quid tuos aliud quàm te opinaris? quid conſortes caſuum

Aug. hom. 49. uide ſuperius.

Diony. Areopagita epiſt. 6. ad Demophilum.

Tertullian. in lib. de pænit.

tuorum

tuorũ ut plauſores fugis? non poteſt corpus de unius membri uexatione lætari: condoleat uniuerſum, et ad remedium conlaboret neceſſe eſt: in uno & altero Eccleſia eſt: Eccleſia uero Chriſtus: ergo cum te ad fratrum genua protendis, Chriſtum contrectas, Chriſtum exoras. æque illi cum ſuper te lacrymas agunt, Chriſtus patitur, Chriſtus patrem deprecatur: inter agendam uero pœnitentiá, ij ſcilicet, qui publica, non ſecreta ſatisfactione emundabantur, toto pœnitentiæ tempore, in Eccleſia cum gemitu, & planctu ſe proſternebant. quam rem Sozomenus his uerbis elegantiſſime explicat. Quoniam non peccare omnino, diuinum, & ultra humanam naturá eſſe cognoſcitur; peccantibus autem, & pœnitentiam agentibus ueniam Deus dari præcepit; qui uero confiteri refugiunt, maius peccatorũ onus acquirunt: propterea uiſum eſt antiquis Pontificibus, ut uelut in theatro ſub teſtimonio eccleſiaſtici populi delicta pandantur: et ad hanc rem presbyterum bonæ conuerſationis, ſeruantemque ſecretum, ac ſapientem uirum ſtatuerunt: ad quem accedentes hi qui deliquerant, delicta propria fatebantur. at ille ſecundum uniuſcuiuſque culpam indicebat & multam: quod etiam hactenus diligenter in occidentalibus ſeruatur eccleſiis, & maxime apud Romá, ubi etiam certus eſt locus pœnitentium. ſtant enim rei, & uelut in lamentationibus conſtituti: cum enim ſacra celebratio fuerit adimpleta, illi communionem non percipientes, cum gemitu, & lamentatione

Sozomen. lib.9 hiſt.tripar.c.35

tione ſe ipſos in terram proſternunt: ad quos concurrens epiſcopus, & ipſe cum lacrymis, & gemitu ſpirituali proſternitur, & omnis eccleſiæ plebs fletibus inundatur. poſt hoc autem prior ſurgit epiſcopus, & eleuat iacentes a terra: at illi afflictionibus ſponte uacantes, aut ieiunijs, aut abſtinentia lauacri, aut ſuſpenſione ciborum, aut rebus alijs quæ iubentur, expectant commune tempus quod decernit epiſcopus: conſtituto uero tempore, uelut quoddam debitum exoluentes, afflictione de peccato curati, cum populo communione participant. hæc ergo antiquitus Romani Pontifices usque ad noſtrũ conſeruarunt tempus. Alium publicæ pœnitentiæ ritum Agathenſis synodus, Cœleſtini tempore celebrata, his uerbis refert. Pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum, & cilicium ſuper caput a ſacerdote, ſicut ubique conſtitutũ eſt, conſequantur. ſi autem comas non depoſuerint, aut ueſtimenta non mutauerint, abiiciantur: & niſi digne pœnituerint, non recipiantur. iuuenibus etiam pœnitentia non facile committenda eſt propter ætatis fragilitatem: uiaticum tamen in omnibus morte poſitis non eſt negandum. hæc synodus. cetera ad pœnitentiæ hiſtoriam pertinentia, inferius in libello de pœnitentijs late proſequimur.

Agathen. syn. c.15.

De

De ſecreto, ſeu, ut nunc uocant, ſigillo confeſſionis, Cap. XI.

QVOD *autem cõfeſſio ſacerdotibus facta, reuelari ab eis non poſſit, certiſſimum eſt apud omnes, & tam theologis, quã etiã iuris canonici peritis, perſuaſiſſimum. hoc autem ea ratione receptum eſt, quia ſacerdos, qui aliorum peccata in confeſſione percipit, non ut priuata quædam perſona, neque ut ipſemet, ſed tanquam is qui publico hac in re Eccleſiæ miniſterio fungitur, et ueluti Deus ipſe, ea percipit, & intelligit. non enim ut homo homini, peccator ſacerdoti ſeipſum cũ tanta humilitate, & deiectione in confeſſione proſtrat, & cuncta tam cordis, quàm operis malefacta ei referat; ſed ipſimet Deo omnia in ſacerdote percipienti ſe totum expandit, et reclusis animi uiſceribus patefacit. audit igitur Deus confitentem in ſacerdote, & in eodem ſacerdote ligat, & abſoluit confeſſum. Dicat itaque una cum Iſaia propheta, Eccleſiæ, cui officio deſeruit miniſtro ipſe ſacerdos: ſecretũ meum mihi, ſecretum meũ mihi: quia ſi Cham patri Noe diſplicuit, quòd uerenda corporis ipſius non abſconderit, ſed cum irriſione monſtrauerit, propptereaque in nepotem maledictionis nota hereditario quodam iure proiecta eſt: quãto magis diuinã incurret iram, qui animorum dedecora, occulte ſub uelo confeſſionis audita inuulgauerit? Sacramentum enim Regis confeſſio eſt: at ſacramentũ Regis, ut inquit Tobias, abſcondi*

Thomæ in add. 3.p.ſum. q. 11. De pæn.& remiſſ.cap.omnis utriusque ſexus.

Iſa.24. Gen.9.

Tob.12.

abſcondi debet. Eccleſiaſticam & antiquiſſimam ſen tentiam hanc eſſe, diſcamus a beato Ambroſio, de quo ita ſcribit Paulinus eius diſcipulus. Erat enim gaudens cum gaudentibus, & flens cum flentibus: ſiquidem quotieſcunque illi aliquis ob percipiendam pænitentiam lapſus ſuos confeſſus eſſet, ita flebat, ut & illum flere compelleret. uidebatur enim ſibi cum iacente iacere. cauſas autem criminum quas il li confitebantur, nulli niſi Domino ſoli, apud quem intercedebat, loquebatur, bonum relinquens exem plum poſteris ſacerdotibus, ut interceſſores apud Deum ſint, magis quam accuſatores apud homines: nam & ſecundum apoſtolum, circa huiuſmodi homi nem confirmanda caritas eſt, quia ipſe ſui accuſa- tor eſt, nec expectat accuſatorem, ſed præuenit, ut confitendo, ſuum alleuet ipſe delictum, nec habeat quod aduerſarius criminetur. ideoque ſcriptura di- cit, iuſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui: uo cem enim eripit aduerſario, & quaſi dentes quoſdã paratos ad prædam criminationis infeſtæ peccatorũ ſuorum confeſſione confringit, dans honorem Deo, cui nuda ſunt omnia, & qui uult uitam magis pec- catorum, quàm mortem. nam ipſi pænitenti non ſufficit ſola confeſſio, niſi ſubſequatur emendatio fa cti, ut pænitens non faciat pænitenda. humiliet etiã animam ſuam, ſicut Dauid ſanctus, qui poſtquam audiuit a propheta, dimiſſum eſt peccatum tuum, humilior factus eſt in emendatione peccati, ita ut cinerem ſicut panem manducaret, & potum ſuum

cum

Paulinus Nolæ epiſcopus in ui ta diui Ambr.

2. Cor. 2.

Pro. 18.

2. Reg. 12.

Pſal. 101.

cum fletu miſceret. hæc omnia Paulinus de confeſſio
Aug. ad Iulian. comitem epiſt. 111. *ne, & eius ſecreto. Auguſtinus eodem ſenſu, quia et eodem ſpiritu ita ſcribit. Si tranſgredimur in aliquo peccato poſt baptiſmum, ideſt fontem lacrymarum, ordinauit nobis pænitentiam propter fragilitatem noſtram: ideo debemus noſtras confeſſiones ueraciter confiteri, et fructus dignos facere. ideſt præterita ne iteremus, ſecundum iuſſionẽ Deum timentis ſacerdotis: qui ſacerdos ut ſapiens, et medicus, primum ſciat curare peccata ſua, & poſtea aliena uulnera detergere, & ſanare, & non publicare. nos ſequamur, perquiramus, & cum talibus conſilium ſalutis noſtræ ineamus, ut non perdamus hereditatem cæleſtem, quá nobis Dominus ab initio mundi præparauit.* Item Sozomenus, dum ſcribit de
Sozomen. lib. 9. hiſt. tri. c. 35. *presbytero ſuper pænitentes ad audiendas confeſſiones, & imponendas pænitentias, præpoſito, ait. Ad hanc rem presbyterum bonæ conuerſationis, ſeruantemque ſecretum, ac ſapientem uirum ſtatuerunt. & synodus ſub Carolo magno celebrata, cuius Anſegiſus abbas Leobienſis meminit, Presbyte*
Anſegiſus lib. 5. c. 48. *ro, inquit, nõ licet peccatum epiſcopo prodere, quia ſuper eum eſt. Et ſi forte ſacerdos peccatum ſibi in confeſſione eccleſiæ patefactum reuelauerit, ultra*
C. omnis utriuſque ſexus de pæn. & remiſſ. *depoſitionem et alias pœnas, credi ei non debet, tum quia teſtimonium unius nullius, ut iura inquiunt, teſtimonium eſt, cum in ore duorum, uel trium te-*
Matth. 18. *ſtium ſtet omne uerbum, tum etiam quia reuelando delinquit, & delinquendo tanquam infamis a teſtimo-*

teſtimonio ferendo, in eo præſertim in quo teſtando peccat, reijcitur. uerum hoc eſt, etiam ſi extra ſacram Eccleſiæ confeſſionem peccatum auditum detexerit: & hoc ſenſu Africanam ſynodum interpretor dum ait. Item placuit, ut ſi quando epiſcopus dicit, aliquem ſibi ſoli proprium crimen fuiſſe confeſſum, atque ille poſtea negat, & pænitere noluerit, non putet ad iniuriam ſuam epiſcopus pertinere, quod illi ſoli non creditur: et ſi ſcrupulo propriæ conſcientiæ ſe dicit neganti nolle cõmunicare, ſecrete tamen interdicat ei cõmunionem, donec obtẽperet.

Africana syn. c. 77. citatur a Burchardo lib. 19. c. 37.

De clauibus, Cap. XII.

CLAVES, *quas ſaluator noſter Chriſtus Eccleſiæ ſuæ catholicæ per Petrum, et apoſtolos reliquos dedit, tres præcipuas eſſe patres ueteres docuerunt, ſcientiæ ſcilicet, ordinis, et quæ minus proprie ita dicitur, iuriſdictionis. Scientiæ clauis eſt illa, qua quis alterum de ueritate, et religionis inſtruit fide, et peccatum a peccato, lepramque a lepra diſtinguendo, cordis interea contritione, & pænitentia peccatoris conſideratis, nouit quis ſoluendus ſit, quisue ligandus. Scribas, & Phariſeos, qui ſupra cathedram Moyſi legem interpretaturi ſedebant, hanc clauem tuliſſe Chriſtus aſſerit, propterea que illos reprehendit, quòd nec ipſi in cælorum regnum intrarent, nec alios uolentes ſinerent introire. Ioannes euãgeliſta eandem*

Thomæ 3. p. in add. q. 18. art. 3

Luc. 11.

Apoc. 3.

clauem

Beda c. 10. ſuper Ioan. ita hanc clauẽ exponit. Lib. 4. ſent. diſtin. 19.

clauem, Dauid appellat clauem, & Chriſto illam aſſerit datam. qui claudit, & nemo aperit, aperit & nemo claudit. Animaduertendum tamen eſt, ſcientiam in homine clauem non eſſe, niſi poſtquam is ad ſacrum presbyteratus ordinem aſſumptus eſt. nam cum claues ſacerdotali tantum ordini tributæ ſint, in eo qui ſacerdos non eſt, ſcientia quidem eſſe poteſt, clauis uero ſcientiæ nequaquam. ordinis uero clauis eſt illa, quam quis acquirit, dum per ſacros Eccleſiæ ordines, apoſtolico gradui, cui claues tributæ ſunt, in ſacerdotium adſcribitur. non enim omnibus (ut ſupradictum fuit, cum de perſonis tractauimus) claues regni cælorum datæ ſunt, ſed apoſtolis tantum, & per apoſtolos ceteris, qui in eorum ordinem ſufficiuntur. iuriſdictionis autem clauis eſt illa poteſtas, quam quis in alterum, tanquam in inferiorem ſuperior, exercere ualet: per quam ſicut oues ſuis paſtoribus ſubiectæ ſunt, ita etiam Paſtores Paſtoribus, ſeruato Eccleſiæ ordine, ſubiiciuntur; donec ueniatur ad unum, qui nemini in terris ſubiectus, ſupra ceteros omnes ſit: ad quem omnes Eccleſiæ, & fidei maiores quæſtiones, & appellationum cauſa, tanquam ad ſupremum iudicem deferantur. hic autem Romanus Pontifex eſt, catholicæ Eccleſiæ paſtor, et maximus hac ratione inter omnes Pontifices appellatus: Chriſti enim Eccleſia, quam Chriſtus regnum, & eccleſiaſticam hierarchiam Dionyſius uocat, ad exemplar cæleſtis regni & hierarchiæ formata eſt: ſicut enim in illa diuerſi

Matth. 16.

De hac claui uide diui Thomæ 3. p. in add. q. 19. artic. 3. in reſp.

angelorum

angelorum ordines ſunt, & unus altero maior, & excellentior, et ſuper omnes eſt Deus ipſe, a quo ſinguli creati ſunt: ita etiã in eccleſiaſtica hierarchia diuerſi miniſtri, & diſpenſatores myſteriorum Dei ſunt, & unus altero tam officio dignitatis, quàm etiam uirtutum merito, ſuperior, & nobilior, & ſuper omnes eſt Petrus ipſe, per quem reliqui, qui eum in fide & religione ſecuti ſunt, claues regni cælorum acceperunt, & munere diſpenſationis, et officij præcellentia donati ſunt. Tu es Petrus, inquit Chriſtus, et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Tu ſcilicet omnium primus me Chriſtum filium Dei uiui confeſſus es, propterea que primus ſuper Eccleſiæ fundamentum, ueluti firmiſſima quædam, & præcipua omnium petra, collocaberis, & ita ceteri, qui idem de me, quibusuis poſtea temporibus, ſenſuri ſunt, ſuper te ipſum diſponentur, & a te tanquam a baſi quadam dependent, nec aliter Eccleſiæ ædificio, ipſique propterea fundamento, quod ego ſum, cohærebunt, niſi tibi per fidei, et religionis cæmentum annexi ſint. in me igitur fundata Eccleſia, ſuper te, primam illius petram, tanquam ſuper alterum a me fundamentum, ædificabitur. ſcribens de hac Paſtorũ iuriſdictione Gregorius Nazanzenus, in concione, quam habuit coram Imperatore de Hieremiæ dictis, Lex, inquit, Chriſti, ſacerdotali uos, noſtræque ſubijcit poteſtati, atque iuſtis tribunalibus: dedit etiã et nobis poteſtatem, & principatum, multo perfectiorem ueſtris. et in-

Matth. 16.

1. Cor. 3.

Grego. Nazanzenus.

fra. ſcio te ouem eſſe gregis mei, a Chriſto mihi ſummo Paſtore adnumeratam, & a Spiritu ſancto ſignatam. ſcio te inter ſacra altaria cum ueneratione ſubijci ſacerdotibus. ſcientiæ claui uſus eſt Petrus, cum per prædicationem tria Iudæorum millia cōuertit ad fidem: ordinis, cum Cornelium centurionem baptizauit; & Paulum gentium apoſtolum, data dextera, una cum Iacobo, & Ioanne ordinauit: iuriſdictionis uero claui uſus eſt in ſynodo, ubi cum tractaretur de Iudæ proditoris morte, quid fieri deberet, non accepto, neque dato conſilio, ſed tanquam omnium princeps, præiudicata poteſtate, apoſtolis, ceteriſque omnibus, qui aderant, dixit. oportet ergo ex his uiris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Ieſus, incipiens a baptiſmate Ioannis, uſque in diem qua aſſumptus eſt a nobis, teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri unum ex iſtis. Paulus ſimiliter per ſcientiæ clauem Titum una cum Timotheo, ea quæ fidei, & religionis ſunt, docuit. per ordinis eundem Titum, & Timotheū, impoſitis manibus, apoſtolicæ dignitati adſcribens, epiſcopos ordinauit. per iuriſdictionis autem clauem, unum Cretæ, alterum uero Epheſi reliquit epiſcopos. Auguſtinus ſcribens contra aduerſarium legis, claues Eccleſiæ, ligandi, ſoluendique poteſtatem interpretatur. quam ſententiam ſecutus uenerabilis Beda, ait. Eccleſia ergo quæ fundatur in Chriſto, claues ab eo regni cælorum accepit in Petro, ideſt poteſtatem ſoluendi,

Act.2. Act.10. Gal.2. Act.1. Tit.1.2.3. 1.Timo.1.& inde. 2.Tim.1. Tit.1. Lib.1.c.17. Bed.ſuper Ioā, c.21.

uendi, ligandique peccata, et poſt pauca: Omnibus igitur ſanctis ad Chriſti corpus inſeparabiliter pertinentibus, propter huius uitæ procelloſiſſimæ gubernaculum, ad liganda, & ſoluenda peccata, claues regni cælorum primus apoſtolorum Petrus accepit. Ambroſius ſcribens de clauibus in hunc modum teſtatur. Nam Petro ſicut bono diſpenſantori clauem regni cæleſtis dedit: Paulo tanquam idoneo doctore magiſterium eccleſiaſticæ inſtitutionis iniunxit, ut quos iſte erudierit ad ſalutem, ille ſuſcipiat ad quietem: & quorum corda Paulus patefecerit doctrina uerborum, eorum animabus Petrus aperiat regna cælorum. clauem enim quodam modo a Chriſto ſcientiæ & Paulus accepit: clauis enim dicenda eſt, qua ad fidem, peccatorum dura reſerantur, mentium ſecreta panduntur, & quidquid intrinſecus clauſum tenetur, in palā rationali manifeſtatione producitur. clauis, inquā, eſt, quæ et conſcientiā ad confeſſionē peccati aperit, & gratiam ad æternitatem myſterij ſalutaris includit. ambo igitur claues a Domino perceperunt, ſcientiæ iſte, ille potentiæ. diuitias immortalitatis ille diſpenſat, ſcientiæ theſauros iſte largitur. Ad hæc cū claues Eccleſiæ datæ ſint, intra ipſam Eccleſiā operantur, non extra, quippe cū extra Eccleſiā peccata, ut inquit Auguſt. nō remittantur. de qua re ita ſcribit beatus Ambroſius. Eccleſia in utroque ſeruat obedientiam, ut peccatum & alliget, & relaxet: hæreſis in altero immitis, in altero inobediens: uult ligare quod non reſoluat, non uult

Ambr. de Natali apoſtolorum Petri & Pauli ſermone. 66.

Ambr. uide de pænit. c. diſt. 1. c. uerbū Dei.

Auguſt. de pænit. medicina homil. 50.

Ambr. lib. 1. de pæn. c. 2.

ſoluere quod ligauit: in quo ſe ſua damnat ſententia. Dominus enim par ius & ſoluendi eſſe uoluit, et ligandi, qui utrunque pari condicione permiſit. Ergo qui ſoluendi ius non habet, nec ligandi habet. ſicut enim ſecundum dominicam ſententiam, qui ligandi ius habet, & ſoluendi habet: ita iſtorum aſſertio ſe ipſam ſtrangulat, ut quia ſoluendi ſibi ius negant, negare debeant & ligandi. quo modo igitur poteſt alterum licere, alterum non licere? ſi quibuſdam datum utrunque eſt, licere, aut utrunque non licere, certum eſt Eccleſiæ utrunque licere, hæreſi utrunque non licere. ius enim hoc ſolis promiſſum ſacerdotibus eſt. recte igitur Eccleſia uendicat, quæ ueros ſacerdotes habet: hæreſis uendicare non poteſt, quæ ſacerdotes Dei non habet. non uendicando autem ipſa de ſe pronunciat, quòd cum ſacerdotes non habeat, ius ſibi uendicare nō debeat ſacerdotale. ita in impudenti contumacia pudentem cernimus confeſſionem. ſpectat etiam illud, quòd qui Spiritum ſanctum accipit, & ſoluendi peccati poteſtatem, et ligandi accipit. ſic enim ſcriptum eſt. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur, et quorum retinueritis, retenta ſunt. Ioan. 20.
Ergo qui ſoluere non poteſt peccatum, nō habet Spiritum ſanctum. munus Spiritus ſancti eſt officium ſacerdotis. ius autem Spiritus ſancti in ſoluendis, ligandiſque criminibus eſt. quo modo igitur munus eius uendicant, de cuius diffidunt iure, & poteſtate? quid quòd inſolentiores ſunt? nam cum ad miſericor-

ricordiam promptior quàm ad ſeueritatem ſit ſpiritus Dei, quod ait ſe uelle, id nolunt, quod nolle, hoc agunt. cum uindicare iudicis ſit, remittere miſericordis. tolerabilius igitur Nouatiane remitteres, quàm ligares. aliud enim quaſi delinquẽti parcens uſurpares, aliud quaſi ærumnæ cõpaſſus ignoſceres. Auguſtinus, Spiritum ſanctum extra Eccleſiam neminem uiuificare, nullique peccata dimittere, una cum Ambroſio ſentiens, alio quodam in loco his uerbis ſcribit. iſti autẽ cum quibus agimus, uel de quibus agimus, non ſunt deſperandi, adhuc enim ſunt in corpore: ſed non quærant Spiritum ſanctum niſi in Chriſti corpore, cuius habent foris ſacramentum, ſed rem ipſam non tenent intus, cuius eſt illud ſacramentũ, & ideo ſibi iudicium manducant, & bibunt. Vnus enim panis ſacramentum eſt unitatis, quoniam, ſicut apoſtolus dicit, Vnus panis, unum corpus multis ſumus. proinde Eccleſia catholica ſola corpus eſt Chriſti, cuius ille caput eſt, ſaluator corporis ſui. extra hoc corpus neminem uiuificat Spiritus ſanctus, quia ſicut ipſe dicit apoſtolus, caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. non eſt autẽ particeps diuinæ caritatis, qui hoſtis eſt unitatis. nõ habent itaque Spiritum ſanctum, qui ſunt extra Eccleſiam. de illis quippe ſcriptum eſt, qui ſe ipſos ſegregant animales, ſpiritum non habentes. ſed nec ille eum percipit, qui fictus eſt in Eccleſia. quo modo deinde ſcriptum eſt. ſanctus enim ſpiritus diſcipli

Aug. Seleucianæ, epiſt. 50.

næ effugiet fictum. qui ergo uult habere Spiritũ ſanctum, caueat foris ab Eccleſia remanere, caueat in eam ſimulate intrare. aut ſi iam talis intrauit, caueat in eadem ſimulatione perſiſtere, ut ueraciter coaleſcat arbori uiti.

De abſolutione, Cap. XIII.

S PECTAT *ad hanc operis partitionẽ ut enarremus primum, quo ordine ad abſolutionem deueniatur, et quid Eccleſia poſt Deum ea in re operetur. Item utrum malus ſacerdos æque ut bonus abſoluat: & an omne peccatum remitti per ſacerdotes in confeſſione poſſit: demum nunquid tanta ſit Eccleſiæ, miniſtrorumque eius facultas, ut pro uoluntatis libito, inſontes damnare, & ſontes abſoluere ualeant. Item quæ preces abſolutionem præcedant. Quatenus autem ad primam pertinet quæſtionem, exploratiſſimum, et receptiſſimum eſt, hominem propter graue peccatum, quod mortale nuncupatur, ſpirituali uita deſtitui, & ita Deo, qui omnium rerũ uita eſt, mori, mortuumque peccatorum uinculis irretitum, & ſcelerum funibus illaqueatũ iacere: ſtipendium enim peccati, in-*
Rom.6. *quit apoſtolus, mors eſt. et funibus peccatorũ ſuo-*
Pro.5. *rum, ait ſapiens, unusquisque conſtringitur. ſed quid hic aget Eccleſiæ medicus ſacerdos? nunquid mortuum reuocabit ad uitam? & deinde ad confeſſionem peccati reuocatũ adducet? at diuinum opus*

hoc eſt: de Chriſto enim ſcribitur. Ego ſum reſurre ctio, & uita. et alibi. Mortui audient uocem filii Dei, & qui audierint, uiuent. monere poteſt medi cus, terrere, adhortari, & una cum ſororibus La- zari lugere, et dicere, Domine ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus: ſed & nunc ſcio, quia quæcunque popoſceris a Deo, dabit tibi Deus: ſed reſuſcitare non poteſt. propterea ſcriptum eſt. Nun quid medici ſuſcitabunt, et confitebuntur tibi? Chri ſtus ergo peccatorem a peccati ſuſcitat morte: & ſi in cubiculo domus mortuus iacet, propterea quòd corde tantum ab eo peccatum fuerit, cordis penetra lia per diuinæ gratiæ illuminationem ingreditur, & animam defunctam reſuſcitat. Quod ſi non tantum corde deliquerit, uerum etiam operibus malas ani- mi deliberationes impleuerit, ad portam feretrum ſiſtit, & adoleſcentem, qui ad ſepulcrum obdura- tionis, et obſtinatæ conſuetudinis a quattuor carnis portitoribus effertur, ad uitam reuocat, & matri uiduæ reuocatum reſtituit. At ſi nedum mente, et opere deliquerit, uerum etiam lapide obſtinationis oppreſſus, in peccatis longo perſeuerauerit tempo- re, proptereáque in eis ſepultus iaceat, & animæ uirtutibus putrefactis, ſuorum ſcelerum fœtorem emittat, accedit ad ſepulcrum Chriſtus Ieſus, & obdurationis lapidem primum mandat auferri, de- inde magna uoce ad mortuũ exclamat: Veni foras: prodit ad hanc uocẽ ſtatim is qui defunctus iacebat, ſed prodit ligatus manus, & pedes inſtitis, et facie

Ioan.11. Ioan.5. Ioan.11. Pſal.87. Marc.5. Luc.7. Ioan.11.

ſudario quoque obtecta: ſurgit mortuus, uerũ quia ſurgit ligatus, ambulare non poteſt, operari, cerne re, et nutriri nõ poteſt: nõ prodeſt igitur ſurrexiſſe, niſi ſoluatur, et ad incedendum aptus reddatur: propterea ait Chriſtus, ſoluite illum, et ſinite abire. quibus hoc mandat? profecto apoſtolis, et eorũ ſucceſſoribus Eccleſiæ miniſtris mandat. iis enim dictũ eſt:
Matth. 18. *quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta et in cælis: Chriſtus igitur mortuum ſuſcitat, ſed apoſtoli ſoluunt: ille uitæ reſtituit, hi peccatorum auferunt onus: ille ad Eccleſiam mittit, hi intra Eccleſiam recipiunt. hæc autem omnia quæ apoſtoli faciunt, ut miniſtri Chriſti, & per uirtutem Spiritus ſancti faciunt. diuinum donum eſt non humana uſurpatio: Dixit enim eis Chriſtus, accipite Spiritũ ſan-*
Ioan. 20. *ctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta. quod autem catholica ſententia hæc ſit, Audiamus obſecro Auguſtinum orthodoxæ fidei præcipuum parentem, & celeberrimum propugnatorem. Quid prodeſt, inquit, Eccleſia, ſi iam confeſſor uoce dominica reſuſcitatus prodit? Quid prodeſt Eccleſia confitenti, cui Dominus ait, quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt & in cælo? ipſum Lazarum attende, cum uinculis prodit: iam uiuebat confitendo, ſed nondum liber ambulabat, uinculis irretitus. quid ergo facit Eccleſia, cui dictum eſt, quæ ſolueritis ſoluta ſunt, niſi quod ait Dominus continuo ad diſcipulos, ſoluite illum, & ſinite abire. et alibi. Cum audis hominem pænitere pecca*

Aug. ſermone 8. de uerbis domini ſecundũ Matth.

Matth. 18.

Ioan. 11.

peccatorum ſuorum, iam reuixit: cum audis homi- Idẽ ſuper pſal. 101.
nem confitendo proferre conſcientiam ſuam, iam
de ſepulcro eductus eſt, ſed nondum ſolutus eſt:
quando ſoluitur? a quibus ſoluitur? quæ ſolueritis, Matth. 18.
inquit, in terra, erunt ſoluta & in cælo. merito per
Eccleſiam dari ſolutio peccatorum poteſt, ſuſcitari
autem ipſe mortuus nõ niſi intus clamante Domino
poteſt. et alio in loco. Etenim mortuus in corde tuo Idem c. quinto ſuper Ioannẽ tract. 22.
tanquam in ſepulcro iacebas, & tanquam ſaxo ma-
læ conſuetudinis grauaris. ſurge, & procede, &
crede, & confitere. qui enim credit, ſurrexit: qui
confitetur, proceſſit. quare proceſiſſe dicimus confi-
tentem? quia antequam cõfiteretur, occultus erat,
cum autem confitetur, procedit de tenebris ad lucẽ;
& cũ confeſſus fuerit, quid dicetur miniſtris? quod
dictum eſt ad funus Lazari: ſoluite illum & ſinite Ioan. 11.
abire. quo modo dictum eſt miniſtris apoſtolis, quæ
ſolueritis in terra, ſoluta erunt et in cælo. & alibi.
eſt pænitentia grauior atque luctuoſior, qua proprie Idem hom. 26.
uocantur in Eccleſia pænitentes, remoti etiam a ſa-
cramentis altaris participandi, ne accipiendo indi-
gne, iudicium ſibi manducent, & bibant: illa uero
pænitentia luctuoſa eſt. graue uulnus adulteriũ for
te cõmiſſum eſt, forte homicidium, forte aliquid ſa
crilegum, grauis res, graue uulnus, letale, mor-
tiferum, ſed omnipotens medicus eſt. iam poſt ſug-
geſtionem facti, & delectationem, et confeſſionẽ, et
perpetrationẽ, quaſi quatriduanus mortuus putet.
ſed nec ipſum Dominus deſeruit, ſed clamauit: La- Ioan. 11.

zare ueni foras. ceſſit uoci miſericordiæ moles ſepulturæ, ceſſit mors uitæ, ceſſit infernus ſuperno; eleuatus eſt Lazarus, proceſſit tumulo, et ligatus erat. ſicut ſunt homines in confeſſione peccati agentes pœnitentiam. iam proceſſerunt a morte, nam non confiterentur, niſi procederent. ipſum confiteri ab occulto, & tenebroſo procedere eſt. Sed quid Dominus Eccleſiæ ſuæ inquit? quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt in cælo: proinde Lazaro procedente, quia impleuit Dominus miſericordiæ ſuæ bonum, producere ad confeſſionem mortuorum latentem, putentem, iam cetera implet Eccleſiæ myſteria, ſoluite illum, & ſinite abire. Et diuus Gregorius in eundem ſenſum: Cauſæ, inquit, penſandæ ſunt, et tunc ligandi atque ſoluendi poteſtas exercenda. uidendú eſt quæ culpa, aut quæ ſit pœnitentia ſecuta poſt culpam: ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam uiſitat, illos Paſtoris ſententia abſoluat. tunc enim uera eſt abſolutio præſidentis, cum æterni arbitriú ſequitur iudicis. quod bene quatriduani mortui reſuſcitatio illa ſignificat: quæ uidelicet demonſtrat, quia prius mortuum Dominus uocauit, & uiuificauit dicens: Lazare ueni foras: & poſtmodum is qui uiuens egreſſus fuerat, a diſcipulis eſt ſolutus, ſicut ſcriptum eſt: cumque egreſſus eſſet, qui fuerat ligatus inſtitis, tunc dixit diſcipulis, ſoluite eum, & ſinite abire. Ecce illum diſcipuli iam uiuentem ſoluunt, quem magiſter reſuſcitauerat mortuum: ſi enim diſcipuli Lazarum mortuum ſoluerent,

Matth. 18.

Grego. homil. 26. ſuper illa uerba Ioã. quorum remiſeritis peccata.

Ioan. 11.

uerent, fætorem magis oſtenderent, quàm uirtutẽ. ex qua conſideratione intuendum eſt, quòd illos nos debemus per paſtoralem auctoritatem ſoluere, quos auctorem noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam uiuificare: quæ nimirum uiuificatio ante operationem rectitudinis, in ipſa iam cognoſcitur confeſſione peccati: unde & huic ipſi mortuo Lazaro *nequaquam dicitur, reuiuiſce, ſed ueni foras. omnis quippe peccator dum culpam ſuá intra conſcientiá abſcondit, introrſus latet, in ſuis penetralibus occultatur: ſed mortuus uenit foras, cum peccator nequitias ſuas ſponte confitetur. Lazaro ergo dicitur ueni foras, ac ſi aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur, cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? foras iam per confeſſionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. ueniat itaque foras mortuus, ideſt culpam confiteatur peccator: uenientem uero foras ſoluant diſcipuli, ut paſtores Eccleſiæ ei pœnam debeant amouere, quá meruit, qui non erubuit cõfiteri quod fecit. Hæc de ſolutionis ordine breuiter dixerim, ut magno ſub moderamine Paſtores Eccleſiæ uel ſoluere ſtudeant, uel ligare. hactenus diuus Gregorius.* et Beda, *ſcribens de Lazaro reſuſcitato, quo modo proceſſit, inquit, ligatis pedibus miraris? & non miraris, quia reſurrexit quatriduanus? in utroque potẽtia Domini erat, non uires mortui. procesſit, & adhuc ligatus, adhuc inuolutus, tamen foras iam proceſſit. quid ſignificat? quando contemnis, mortuus iaces; & ſi* Bed. ſuper Ioã. c. 11.

tanta

tanta, quanta dixi, contemnas, ſepultus iaces: quando confiteris, procedis. quid eſt enim procedere, niſi ab occultis uelut exeundo manifeſtari? ſed ut cõfitearis, Deus facit uoce magna clamando, ideſt magna gratia uocando. ideo cũ proceſſiſſet mortuus adhuc ligatus, confitens, et adhuc reus, ut ſoluerentur peccata eius, miniſtris hoc dixit. ſoluite illũ, et ſinite abire: quæ ſolueritis in terra, erunt ſoluta in cælis. potuit enim ligamenta ſoluere, qui mortuum reſuſcitauit: ſed propter unitatẽ ſanctæ Dei Eccleſiæ, et indiuiduam caritatem, dicitur miniſtris ideſt diſcipulis Chriſti, ſoluite eum, quia ſine unitate catholicæ fidei, & caritate eccleſiaſticæ ſanctitatis, peccata nõ ſoluuntur. Ex his ergo, quæ diximus, conſtat, quod ipſius tantum Dei eſt hominẽ, per internam cordis compunctionẽ excitare a morte: ſed ad Paſtores Eccleſiæ deinde ſpectat ſuſcitatum a Deo ſoluere a peccatorũ Thomæ 3. p. in add. q. 18. art. 2 *uinculis, pœnã, ut ait Greg. amouere, quam meruit, & ab aliquo temporario etiã alterius ſæculi flagello eruere, & liberare. hanc uero tã excellentem, et diuinã poteſtatem non indebite a ſe uſurpatã, ſed ut a Chriſto ſibi gratuito elargitã, Paſtores retinent, atque exercent. peccata enim nõ dimittunt niſi in illa Spiritus ſancti uirtute, quã una cum poteſtate diuinitus a Chriſto acceperunt, cum illis in apoſtolis dictum eſt, accipite Spiritũ ſanctũ, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, et quorũ retinueritis, retenta ſunt. toto igitur aberrant cælo ij qui aſſerunt, nequaquã per Paſtores remitti peccata, ſed tantum* Ioan. 20.

declarari

declarari remiſſa. hoc.n. modo falſa et alieno in ſenſu poſita eſſent illa uerba Chriſti, cum dixit, quæcunq; ſolueritis ſuper terrá, erunt ſoluta et in cælo. et alibi. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. cú aliud omnino ſit ſoluere, & remittere, aliud ſolutum, & remiſſum declarare, & illud ad iudicé, hoc uerius ad doctorem & expoſitorem pertineat. nec refert quòd leproſi, quos Chriſtus ad ſacerdotes miſit, in uia antequam ad eos uenirent, mundati ſint: quia ſicut teſtamenti ueteris ſacramenta ſignificabant tantum gratiá, non etiam continebant; ita illius temporis ſacerdotes monſtrabant dumtaxat homines a lepra mundatos eſſe, non tamen eos mundabant. at noſtris ſacerdotibus, ut ex Chryſoſtomo ſupra diximus, non ſolum probare, ſed etiam mundare non corporis, uerum animæ lepram conceſſum eſt. hunc errorem, ultra alios, ante nos Hugo & Ricardus de ſancto Victore, eleganter, et appoſite confutarunt. ait enim Hugo. Non dicit, quodcunque ſolueris, hoc eſt ut illi aiunt ſolutum oſtenderis, fuit ſolutum, ſed erit ſolutum: quia ſententiam Petri non præcedit, ſed ſubſequitur ſententia cæli. et poſt pauca: ubi autem dixit, ſi oſtenderis, ſcilicet ſolutum, fuit ſolutum? nuſquam dixit hoc. ſed dixit, ſi feceritis, ideſt ſi ſolueritis, erit ſolutum. & Ricardus. extat, inquit, quorundam de poteſtate ligandi, atq; ſoluendi ſententia, ut ridenda uideatur potius quàm refellenda. putant enim, & prædicant, ſacerdotes non habere poteſtatem ſoluendi, et ligandi, ſed oſten-

Matth.18. Ioan.20.

Luc.17.

Chryſoſt. lib. 2 & 3. de ſacerd.

Hugo de ſancto Victore lib. 2. de ſacramentis p.14. c.8.

Ricard. c.12. de poteſtate ligã. & ſoluen.

dendi

dendi homines eſſe ſolutos, ſiue ligatos. Sed nunquid Dominus dicit, quodcunque ligatum oſtenderis, erit ligatum, & quodcunque ſolutum oſtenderis, erit ſolutum? Origenes dum exponit aſinam, et eius pullum a diſcipulis Chriſti ſolutos, eidem ſe ſubſcribit ſententiæ, aſſerens quòd ſicut cum aſcenderet Hieroſolymam Chriſtus, iuſſit apoſtolos ut utrunque iumentum ſoluerent, & ad ſe adducerent, ita cum eſſet aſcenſurus in cælum mandauit, ut peccata dimitterent, dans eis Spiritum ſanctum, & dicens: quorũ remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. & Cyrillus ſuper Ioannem, quærens rationem, qua diſcipulis Chriſtus poteſtatem remittendorum peccatorum, Dei ſolius propriam, ſit elargitus, ſtatim ſibi ipſi reſpondens ait: Quia certe abſurdum non eſt, peccata remitti poſſe ab illis, qui Spiritum ſanctum in ſeipſis habeant: nam cum ipſi remittunt, aut detinent, ſpiritus, qui habitat in eis, per eos remittit, aut detinet. Cum autem quæritur utrum malus ſacerdos æque ut bonus abſoluat, dubium non eſt, quòd cum uterque poteſtate diuina, non facultate propria, aut meritis, peccatorem abſoluat, æque uterque abſoluit. dictum enim eſt a Chriſto, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. cum igitur per Spiritum ſanctum dimittantur peccata, impedimentum nullum eſt, quin ille tam per bonos, quàm per malos miniſtros æque operari poſſit, quia

Origenes ſuper Matth.c.12.homil.14.

Matth.21. Marc.11.

Ioan.20.

Cyr.12.in Ioã. c.56.

lib.4.ſent.diſt.19.

Ioan.20.

&

& per Caypham Spiritus ſanctus, propterea quod eſſet ſacerdos, locutus fuit: & Moyſi decreta, ac leges, etiã in peſſimis Phariſeis Chriſtus defendit. diuinũ itaq; inſtitutũ hominis malitia nequaquã tollit, aut uariat. Quòd autẽ non ab hominibus, ſed per homines dimittantur peccata, hoc eſt quod miniſterio tantũ hominis in dimittendis peccatis utatur Spiritus ſanctus, aſſerit diuus Bernardus dum ait. Claues regni cælorũ tam ſingulariter accepit, ut præcedat ſententia Petri ſententiam cæli: ac ipſe quidem hoc auctoritate ſua Deus efficit, ſed in ea tamen re miniſterio ſacerdotis utitur: itaque quidquid eius ſacerdos facit, non ſua propria, ſed a Deo ſibi conceſſa poteſtate facit. Confirmat hoc ipſum beatus quoque Auguſtinus, dum ſcribit. Sicut miſit me Pater, et ego mitto uos. hoc cum dixiſſet, inſufflauit, & dixit, Accipite Spiritum ſanctum, ſi cui dimiſeritis peccata, dimittentur, & ſi cui retinueritis, retinebuntur: contra nos eſſet, ut cogeremur fateri ab hominibus hoc non per homines fieri, ſi poſtquam dixit, & ego mitto uos, ſubieciſſet continuo, ſi cui dimiſeritis peccata, dimittentur, & ſi cui tenueritis, tenebuntur. Cum uero interpoſitum eſt, hoc cum dixiſſet inſufflauit, & ait illis, accipite Spiritum ſanctum, & deinde illatum, per eos uel remiſſionem, uel retentionem fieri peccatorũ, ſatis oſtenditur, non ipſos id agere, ſed per eos utique Spiritum ſanctum: ſicut alio loco dicitur. non enim uos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus ſanctus qui in uobis eſt

Ioan. 11.
Matth. 23.
Bernardus ſermone 1. in diẽ Petri, & Pauli uide eũ in ſer. etiam ad milites templi.
Auguſt. contra epiſtolam Parmeniani c. 11.
Ioan. 20.
Marc. 13.

eſt. Spiritus autẽ ſanctus in Eccleſiæ præpoſito uel miniſtro ſic ineſt, ut, ſi fictus non eſt, operetur per eum Spiritus ſanctus, & ad eius mercedem in ſalutem ſempiternam, & eorum regenerationem, uel ædificationem, qui per eum ſiue conſecrantur, ſiue euangelizantur. ſcribit autem hæc Auguſtinus, dum contra Parmenianum probare nititur, quòd tam per bonos, quàm per malos dimittantur peccata. In eundem ſenſum diuus Ambroſius. Nunc uideamus, inquit, utrum peccata donet ſpiritus: ſed hic dubitari non poteſt, cum ipſe Dominus dixerit: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt. Ecce quia per Spiritum ſanctum peccata donantur. homines autem in remiſsionem peccatorum, miniſterium ſuum exhibẽt, non ius alicuius poteſtatis exercent. neque enim in ſuo, ſed in patris, & filij, & ſpiritus ſancti nomine peccata dimittuntur. iſti rogant, diuinitas donat: humanum enim obſequium, ſed munificentia ſupernæ eſt poteſtatis: in baptiſmo quoq; peccata donari non eſt ambiguum: in baptiſmo autẽ operatio patris, & filij, & ſpiritus ſancti eſt. hæc Ambroſius, dum aſtruit tam in baptiſmo, quàm etiam in confeſsione, Spiritum ſanctum dimittere peccata, uerum per homines Eccleſiæ miniſtros. ex quibus omnibus conſtat, quod cum peccata per homines, non autem ab hominibus dimittantur, per malos æque ac per bonos miniſtros Spiritus ſanctus, qui ea dimittit, operatur. quia quemadmodum naturæ totius ordinem a Deo

Ambr. lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 19.

creatis rebus præfixum, hominum peccata non mutant, aut uariant, ſed ſemper idem ex Dei conſtitutione ſemel poſita, illibatus ſeruatur, tam in cæli & cæleſtium cunctorum ſplendore, ac motu, quibus in ſubiecta quæque, & ipſos etiam homines, propter quos omnia creata ſunt, operantur, quàm etiam in temporum ſucceßione, elementis, et uniuerſis rebus, quæ ab eis compoſitæ ſunt: ita etiam relictum à Deo hominibus propter homines ſpirituale inſtitutum, ut per ſacerdotes in eccleſia remittantur peccata, hominum peccata mutare, & uariare non poſſunt.

De eo uero, quod quæritur, utrum omne peccatum remitti per ſacerdotes poßit, ſciendum eſt Chriſtum, unum tantum, quod in Spiritum ſanctum dicitur, a remißionis excluſiſſe remedio. Ioannes apoſtolus, prædilectus diſcipulus, qui in ſinu eius recumbens, ſecreta cæleſtia didicit, et enarrauit nobis, peccatum ad mortem hoc uocat, & quoniam remißionem non habet, orari pro eo negat, dum ait: qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei uita peccanti non ad mortem. eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis: omnis iniquitas peccatum eſt, & eſt peccatum ad mortem. peccat autem in Spiritum ſanctum quis pluribus modis, uerum abſque remißionis ſpe his tantum ſcilicet dum aut Chriſti fidem, & agnitam Spiritus ſancti ueritatem ex profeſſo, conſultoque oppugnat, & in oppugnatione obſtinato animo perſeuerat, aut maius appellat peccatum ſuum, quàm

Matth. 12.

Ioan. 5.

Aug. Bonifacio comiti. de moderate coercen. hære. epiſto. 50. circa finem.

per Spiritum ſanctum, a quo omne donatur peccatum, remitti poßit: primo modo peccarunt Iudæi,
Matth. 12. *dum Chriſtum ex miraculis agnitum, & in uirtute Spiritus ſancti operantem expellentemq; demonia, in Beelzebub tamen, dæmoniorum Principe, illum hoc facere aſſeuerarunt, et ea in obſtinatione perſeuerarunt. altero peccauit Cain, dum dixit, maius eſt*
Gen. 4. *peccatum meum, quàm ut dimittatur. & Iudas Iſcharioth, qui de immenſa Spiritus ſancti caritate*
Matth. 27. *diffidens, agnito peccato, non ſupplex ad diuinam miſericordiá acceſſit, ſed illud irremiſibile ratus, abijt longe ab ea, et laqueo ſe ſuſpendit. nó remittitur ergo peccatum, quod aut non emendatur, aut remitti non poſſe putatur, quia in Spiritum ſanctum peccat, & in eo peccato perſeuerat, qui aut Spiritum ſanctum obſtinatus oppugnat, aut eum remittere non poſſe peccatum a ſe perpetratum exiſtimat. itaque dum aut impugnando, aut etiam detrahendo offendit, indignus fit, ut ab eo per remißionem iuuetur, cum nullum peccatum, niſi quis ab eo ſe ſubtrahat, & remißibile exiſtimet, remittatur. nihil aliud igitur eſt peccatum in Spiritum ſanctum, & quod ad mortem uocat apoſtolus, niſi impænitentia & deſperatio perpetua. Nouatus hæreticus, lapſis omnibus poſt baptiſmum, pænitentiam & remißionem omnium peccatorum (dum male Paulum ad He-*
Hebr. 6. *bræos intelligit) negauit, & ita per ſacerdotes abſolui non poſſe contendit. eius uero ſectatores, dum tantam præceptoris acerbitatem riſu, & indigna*

tione

tione ab omnibus exceptam uiderent, paululum non tamen plene ſe corrigentes peccata dumtaxat, quæ ad mortem uocat apoſtolus, a remiſsionis uenia excludebant, aſſerentes hæc per ſacerdotes nullo modo dimitti poſſe. Verum & ipſi quoque errabant, quia omne graue peccatum, peccatum ad mortem appellabant, et a remiſsionis uenia reiiciebant. contra errorem hunc acriter D. Ambroſius inuehitur, & inter alia, quæ ad confutandum illum profert, ita quodam in loco ſcribit. ſed aiunt ſe exceptis grauioribus criminibus, relaxare ueniam leuioribus: nō quidem auctor ueſtri erroris Nouatus ait, qui nemini pænitentiam dandam putauit, ea ſcilicet contemplatione, ut quod ipſe non poſſet ſoluere, nō ligaret: ne ligando ſperari a ſe faceret ſolutionē. in eo igitur patrem ueſtrum propria damnatis ſententia, qui diſtinctionem peccatorum facitis, quæ ſoluenda a uobis putetis, & quæ ſine remedio eſſe arbitremini. ſed Deus diſtinctionē non facit, qui miſericordiā ſuā promiſit omnibus, & relaxandi licentiam ſacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſsit: ſed qui culpā exaggerauerit, exaggeret etiam pænitentiam: maiora enim crimina maioribus abluuntur fletibus. ita nec Nouatus probatur, qui ueniā interclusit omnibus, nec uos imitatores eiuſdem & condēnatores, qui ibi minuitis ſtudia pænitētiæ, ubi augeri oportet, quia grauiora peccata maioribus ſuſtentanda fulcris docuit Chriſti miſericordia. Conſtantinus Magnus Imperator, dum eſſet in Nicena Synodo, Aceſiū Nouatia- Ambros. lib. 1. de pænit. c. 2.

num epiſcopum conueniens, de eodem reprehendit errore, uti Socrates in hæc uerba teſtatur. Porro denuo Imperatore requirente, cur ergo te o Aceſi a communione ſeparas? ille ea quæ ſub Decio geſta ſunt perſecutionis tempore, replicauit, & ſubtilitatem acerbiſſimæ regulæ deduxit ad medium: quòd non oporteat eos, qui poſt baptiſma peccant peccatum, quod ad mortem eſſe ſcripturæ diuinæ pronunciant, cõmunicatione ſacramentorũ fieri dignos, ſed inuitandos quidem ad pœnitentiã, ſpem uero remiſſionis, non a ſacerdotibus, ſed a Deo ſolummodo ſuſtinere, qui poteſtatem habet peccata remittere. hæc cum dixiſſet Aceſius, Imperator ait, o Aceſi, pone ſcalam, & ſi potes, aſcende ſolus in cælum. Reprehendit hunc eundem Nouatianorum, qui cathari a munditie, ut ipſi gloriabantur, cognominati ſunt, errorem, Epiphanius Cypri Salaminæ epiſcopus, diui Hieronymi amiciſſimus, eoque in loco uocalis confeſſionis, quæ ſacerdotibus fit, mẽtionem etiam facit. Nullum peccatum igitur eſt, quod per pœnitentiam a ſacerdotibus remitti nõ poſſit. dum dico per pœnitentiam, peccatum in Spiritum ſanctum, quod eſt irremiſſibile, excludo, hoc eſt impœnitentiam, & deſperationem: quæ in pœnitente non ſunt. prima non eſt quia pœnitet, altera quia niſi remiſſionem ſperaret, non pœniteret. Pœnitentia uero tres in ſe continet partes, contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem. contritio eſt cordis, confeſſio oris, ſatisfactio operis: per contritionem Deum, per confeſſionem

Socr. lib. 2. hiſto. trip. c. 13.

Epiphanius cõtra catharos.

*nem Deum et Eccleſiam, per ſatisfactionem Deum,
Eccleſiam, et offenſam a nobis placamus partē. Vbi
ergo uera pænitentia adeſt, nullum peccatum ſine
remiſsione eſt. At quamuis omne peccatum dimitta-
tur, illud tamen quod grauius eſt, maiorem ſibi po-
ſtulat pænitentiam. Triburienſis Synodus latrones,* Triburiē. syn. cap. 5. citatur
& prædones etiam recipit poſt confeſsionem, dum a Burchar. lib.
ait. Fures, & latrones ſi in furando, & prædan- 11. c. 59.
*do occiduntur, uiſum eſt pro eis non orandum: ſi com
prehenſi, aut uulnerati presbytero confeſsi fuerint,
communionem eis non negamus. In abſoluendo au-
tem magna debet eſſe ſacerdotum diſcretio, ut non fa
cile quemquam abſoluant, niſi illum peccati pæni-
teat, & animi dolorem aliquo exteriori explicet ſi-
gno. quia ſolui ab homine non poteſt, qui primus a
Deo ſuſcitatus non eſt. tunc enim (ut inquit Grego-
rius) uera eſt abſolutio ſacerdotis cum ſuperni arbi
trium ſequitur iudicis. Chriſtus Mariam* Magda-
*lenam, omni ſcelerum genere irretitam, non abſoluit
niſi poſt lacrymas, & animi contritionem: & Da-* Luc. 7.
uid audire non potuit a propleta Nathan, Domi- 2. Reg. 12.
*nus tranſtulit peccatum tuum, niſi poſtquam ipſe
ingenti cum dolore confeſſus eſt ſe peccaſſe. ligandus
eſt itaque primum peccator, & pænitentiæ legibus
ſubijciendus, poſtremo a peccatorum uinculis abſol
uendus. facit hoc quotidie Deus, qui filios ſuos ideo
punit, & cruciat, ut recipiat, & miſereatur. fecit
hoc Paulus apoſtolus, dum peſsimum illum homi-* 1. Cor. 5.
nem inceſtuoſum, qui cum nouerca patris uxore

apud Corinthios nefando contubernio iungebatur, extra cœtum eccleſiæ, eo quòd inuulgatum eſſet crimen, proijciendo, tradidit Sathanæ in interitum carnis. at quare tradidit? ipſum audiamus apoſtolum: ut ſpiritus, inquit, ſaluus ſit in die domini noſtri Ieſu Chriſti: ergo carnem uerberat, ut ſaluet ani-
1. Reg. 2. *mam; mortificat, ut uiuificet; deducit ad inferos, ut reducat; ligat, ut poſtremo abſoluat: clauis enim ligaminis, Moyſi tenet locum, Chriſti uero ea quæ eſt ſolutionis: propterea Moyſes percutit, & peccatum oſtendit, ut quis ad Chriſtum pro ſolutione recurrat. Vis ſcire quod Paulus qui Moyſi primum uices ligando tenuit, Chriſti poſtea abſoluendo tenuerit. audi quid ipſe erga huiuſmodi fecerit inceſtuo-*
2. Cor. 2. *ſum. ſufficit, inquit, illi qui eiuſmodi eſt, obiurgatio hæc quæ fit a pluribus: ita ut econtrario magis donetis, & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui eiuſmodi eſt. propter quod obſecro uos, ut confirmetis in illum caritatem: ideo enim & ſcripſi uobis ut cognoſcam experimentum ueſtrum, an in omnibus obedientes ſitis: cui autem aliquid donaſtis, & ego: nam & ego quod donaui, ſi quid donaui, propter uos in perſona Chriſti, ut non circumueniamur a Sathana: non enim ignoramus cogitationes eius. Audis quod donauit, & remiſit peccatum: at qua nam auctoritate donauit? in perſona, inquit, Chriſti, hoc eſt poteſtate a Chriſto ſibi collata, non autem a ſe uſurpata, menti enim*
Ioan. 20. *tenebat apoſtolus uerba illa Chriſti. Accipite Spi-*

ritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: ſed quando donauit, & quare donauit? donauit utique poſt pœnitentiam, et donauit, ne abundantiori triſtitia abſorberetur is qui ab eo ligatus fuerat: ſed quare non abſoluit Hymenæum, et Alexandrum ærarium, quos ſimiliter ligauerat, et Sathanæ tradiderat? utique quia non reſipuerant, & pœnitentiam de blaſphemia non egerant. qui ergo peccatum non deſerit, & de peccato pœnitentiam non agit, abſolui nullo modo poteſt: inſontes itaque damnare, & ſontes non pœnitentes abſoluere eccleſiæ clauis non ualet. ligandum enim eſt (ut ſcribit Clemens martyr) quod oportet ligari, et ſoluendum quod expedit ſolui. Apoſtoli, ut ex Nicena altera Synodo apparet, damnant presbyterum, qui conuerſum, & pœnitentem peccatorem non recipit & abſoluit: ita enim ſcribunt. Si quis presbyter eum qui a peccato conuertitur, non receperit, ſed reijcit, deponitor. Siquidem Chriſtum offendit, qui gaudium in cœlo ſuper peccatorem reſipiſcentem oboriri dixit: & beatus Hieronymus reprehendit epiſcopos, & presbyteros, qui uel damnant, uel abſoluunt immeritos: ait enim dum uerba illa Chriſti exponit: Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cœlis, et quodcunque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis: iſtum locum epiſcopi, & presbyteri non intelligentes, aliquid ſibi de Phariſeorum aſſumunt ſupercilio, ut uel damnent innocentes, uel ſoluere ſe noxios

1. Timoth. 1.

Thomæ 3. p. in addit. q. 18. ar. 4.

Clemens epiſt. 1. ad Iac. fratrem Domini

Canō apoſt. 51 citat. a Nicena Syn. 2. actione 1. uerū citatur pro canone 53.

Hier. ſuper matth. c. xvi.

xios arbitrentur: cum apud Deum non ſententia ſacerdotum, ſed reorum uita quæratur. legimus in Leuitico de leproſis, ubi iubentur, ut oſtendant ſe ſacerdotibus, et ſi leprā habuerint, tūc a ſacerdote immundi fiant: nō quo ſacerdotes leproſos faciāt, et immundos, ſed quo habeant notitiam leproſi, et non leproſi, et poſſint diſcernere qui mundus, quique immundus ſit. quomodo ergo ibi leproſum ſacerdos mundum, uel immundū facit, ſic et hic alligat, uel ſoluit epiſcopus, & presbyter, non eos qui inſontes ſunt, uel noxij, ſed pro officio ſuo, cum peccatorum audierit uarietates, ſcit qui ligandus ſit, quique ſoluendus. Hæc beatus Hieronymus: cui Magnus Gregorius ſe ſubſcribens, non ſolum reprehendit paſtores, qui uel odij uel inimicitiarum cauſa ligant innoxios, uel gratiæ, & beneuolentiæ comparandæ ſtudio noxios ſine ulla criminum ſatisfactione abſoluunt: uerum etiam illos indignos fieri, qui amplius ſacerdotalem ligandi, ſoluendique poteſtatem exerceant, aſſeuerat, ait enim. Et plerumque contingit, ut hic iudicij locum teneat, cui ad locum uita minime concordat: ac proinde ſæpe agitur ut uel damnet immeritos, uel alios ipſe ligatus ſoluat: ſæpe in ſoluendis ac ligandis ſubditis, ſuæ uoluntatis motus, non autem cauſarum merita ſequitur: unde fit ut ipſa hac ligandi, & ſoluendi poteſtate ſe priuet, qui hanc pro ſuis uoluntatibus, nō pro ſubiectorum meritis exercet. ſæpe fit, ut erga quemlibet proximum odio, uel gratia moueatur paſtor: iudicare autē de ſubditis digne nequeant,

Leu. 14.

Greg. homi. 26 ſuper illa uerba Ioā. quorū remiſeritis peccata, remittuntur eis.

qui

qui in ſubditorum cauſis ſua uel odia, uel gratiam ſequuntur: unde recte per prophetã dicitur, mortificabant animas, quæ non moriuntur, & uiuificabant animas, quæ non uiuunt. non morientem quippe mortificat, qui iuſtum damnat, & non uicturum uiuificare nititur, qui reum a ſupplicio abſoluere conatur: cauſæ ergo penſandæ ſunt, & tunc ligandi, atque ſoluendi poteſtas exercenda. At quamuis iniuſta paſtorum ſententia ſit, & a rationis tramite recedat, timenda nihilominus eſt, quia bonarum mentium eſt timere culpam, ubi culpa non inuenitur. ualde, inquit Vrbanus martyr, timenda eſt ſententia epiſcopi, licet iniuſte liget aliquem, quod tamen ſummopere præuidere debet. & beatus Gregorius. Sed utrum iuſte, an iniuſte obliget paſtor, paſtoris tamẽ ſententia gregi timenda eſt: ne is qui ſubeſt, et cum iniuſte forſitan ligatur, ipſam obligationis ſuæ ſententiam ex alia culpa mereatur. Paſtor ergo uel abſoluere indiſcrete timeat, uel ligare. is autem, qui ſub manu paſtoris eſt, ligari timeat uel iniuſte, nec paſtoris ſui iudicium temere reprehendat: ne, etſi iniuſte ligatus eſt, ex ipſa tumidæ reprehenſionis ſuperbia, culpa, quæ non erat, fiat. Ante uero quàm ad abſolutionem perueniretur, presbyter aliquas ad Deum deuote, & magna cum humilitate præmittebat orationes. earum autem non una ubique terrarum erat forma, quamuis una eſſet precantium omnium intentio. Extat apud Anſegiſum abbatem ſynodus quædã ſub Carolo magno celebrata, in qua de

Ezec. 13.

Vrbanus Papa martyr epiſt. 1

Greg. hom. 26. ſuper illa uerba quorum remiſeritis peccata.

Anſegiſus lib. 5. c. 51.

de huiuſmodi precibus mētio his uerbis habetur: ut nemo ſacerdotum populi ſibi peccata confitentiũ ſine auctoritate canonum iudicare præſumat: & ut quando unicuique quiſquam ſacerdos ſibi ſcelera ſua confitenti iuxta prædictum canonicum modum pænitentiam tribuit, ſi is comam dimiſerit, aut habitũ mutauerit, manus ei ſecundum canonicam auctoritatem imponat, cum orationibus, quæ ſacramentario ad dandam pænitẽtiam cõtinentur. ſi uero occulte, & ſponte confeſſus fuerit, & occulte fiat. ſi publice, aut manifeſte cõuictus, aut confeſſus fuerit, publice, ac manifeſte fiat; & publice coram eccleſia iuxta canonicos pæniteat gradus. poſt peractam uero ſecundum canonicam inſtitutionem pænitentiam, occulte, aut manifeſte canonicę reconcilietur, et manus ei cum orationibus, quæ in ſacramentario ad reconciliandum pænitentem continentur, imponatur, ut diuinis precibus, & miſerationibus abſolutus a ſuis facinoribus eſſe mereatur. Burchardus Vormatienſis in Germania epiſcopus, uir doctus et pius, & orthodoxæ fidei propugnator acerrimus, (utinam tales hodie Germania nobis progigneret) normam quandã orandi hac in re præfixit. eſt autẽ huiuſmodi. Tunc proſternat, inquit, ſe pænitens in terram, & cum lacrymis dicat. Et in his, et aliis uitiis, quibuſcunque humana fragilitas cõtra Deũ & creatorem ſuum, aut cogitando, aut loquendo, aut operando, aut delectando, aut concupiſcendo peccare poteſt, in omnibus me peccaſſe, & reum

in

in cōſpectu Dei ſuper omnes homines eſſe cognoſco, et confiteor: humiliter etiā te ſacerdos Dei expoſco, ut intercedas pro me, & pro peccatis meis ad Dominum & creatorem, quatenus de his, & omnibus ſceleribus meis ueniam, & indulgentiam conſequi merear. Deinde ſacerdos cum pœnitente proſternat ſe in terram, et decantet hos ſequentes pſalmos. Imprimis dicat pſalmum trigeſimumſeptimum totum, Domine ne in furore tuo: & poſtea dicat, oremus; & cantet pſalmum centeſimum undecimum, Benedic anima mea Domino. et iterum dicat, oremus. & cantet Pſalmum quinquageſimum, Miſerere mei Deus. Poſt hæc cantet pſalmum quinquageſimum tertium, Deus in nomine tuo, et dicat, oremus; & cantet pſalmum quinquageſimum primum, Quid gloriaris in malitia. tunc dicat has ſubſequentes orationes.

Deus, cuius indulgentia nemo non indiget, memento famuli tui N. qui lubrica terreni corporis fragilitate nudatus eſt: quæſimus, da ueniam confitenti, parce ſupplici, ut qui ſuis meritis accuſatur, tua miſeratione ſaluetur. Per Dominū noſtrū &c.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui per Ieſum Chriſtum filium tuum, dominum noſtrum, uulnera noſtra curare dignatus es, ſupplices rogamus, & petimus ut precibus noſtris aurē tuæ pietatis inclinare digneris: qui etiā remittis omnia crimina, & peccata uniuerſa condonas, da quæſimus huic famulo tuo Domine pro ſuppliciis ueniā,

pro

pro mœrore lætitiam, pro morte uitam: ut de tua miſericordia confidens peruenire mereatur ad uitã æternam. Per eundem Dominum noſtrum &c.

Omnipotens & miſericors Deus, qui peccatorum indulgentiam in confeſſione celeri poſuiſti, ſuccurre lapſis; miſerere confeſſis, ut quos delictorum catena conſtringit, magnitudo tuæ pietatis abſoluat. Per eundem Dominum noſtrum &c.

Precor Domine clementiæ, & miſericordiæ tuæ maieſtatem, ut famulo tuo N. peccata & facinora ſua confitenti, debita relaxare, et ueniam præſtare digneris, & præteritorum criminum culpas indulgere. qui humeris tuis ouem perditam reduxiſti, qui publicani precibus, & confeſſione placatus es: tu etiam Domine huic famulo tuo placatus eſſe digneris: tu huius precibus benignus aſpira, ut in confeſſione placabilis permaneat. Fletus eius, & petitio perpetuam clementiam tuam celeriter exoret. ſanctisque altaribus reſtituas, ſpei rurſum æternæ, ac cæleſti gloriæ mancipatum. Qui uiuis, & regnas &c.

Deus omnipotens ſit adiutor, & protector tuus, & præſtet indulgentiam de peccatis tuis præteritis, præſentibus, & futuris. Amen. Peractis orationibus impoſita manu pænitens abſoluebatur, ea ſcilicet uerborum forma, quæ infra ſequenti capite ſtatim adſcribetur. Neminem autem abſque manus impoſitione abſolui ſolitum eſſe, ſynodus quædam ſub Carolo Magno celebrata, his uerbis teſtatur. ſine

Anſegiſus abbas lib. 5. ſtatutorum Caroli magni c. 51.

ne manus, inquiens, impoſitione nemo abſoluitur ligatus, & ideo Dominus et magiſter noſter diſcipulis ſuis, ac ſucceſſoribus eorum ligandi, ac ſoluendi dedit poteſtatem, ut peccatores ligandi habeant poteſtatem, & pænitentiam condigne agentes abſoluendi, ut peccata cum diuina inuocatione dimitti queant: nec mirum hoc. quòd ſi homines ſuis ſeruis dant poteſtatem de ſubditis ligandi, atque ſoluendi, & nocendi, et adiuuandi apud ſe, quanto magis Dominus omnium hominum hanc poteſtatem poteſtatum præpoſitis ſanctæ Eccleſiæ dedit, dicens, accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata Ioan.20. *remittuntur eis, & quorũ retinueritis retenta ſunt.*

De forma, & materia, & quòd confeſſio ſacramentum eſt. Cap. XIIII.

PAENITENTIAE *ſacramentum à Chriſto inſtitutum eſſe ſuperius enarrauimus: nam non ſolum Petro, & in Petro Eccleſiæ omni quæ ſuper ipſum ædificata eſt, claues regni cælorum, & ſoluendi, ligandique is tradidit poteſtatem: uerum etiam ad apoſtolos omnes eruditis, & clariſſimis uerbis loquens, dixit. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. his autem uerbis tam formam, quàm etiam materiam ſacramenti confeſſionis ſignificanter expreſſit.* Matth.16. Ioan.21. Ioan.20.

forma

forma eſt: Ego te abſoluo in nomine patris, et filij, et
Matth.18. *Spiritus ſancti. hæc autem forma elicitur ex illis uerbis, quæcunque ſolueritis, erunt ſoluta; ſicut forma baptiſmi, qua dicitur, ego te baptizo in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti, ducitur ex*
Matt.28. *illis: Baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti. Materia autem duplex eſt, propinqua, & remota: ſicut in ſtatuis conflandis, propinqua materia eſt metallum, aqua uero remota. remota materia ſunt pænitentis peccata, quatenus tamen deteſtanda, & reijcienda ſunt, non quatenus amplectenda. at quamuis ea pænitens deteſtetur, materiam tamen præbent confeſſioni faciendæ. nam & mali, corruptique in corpore humores pharmacis adhibendis materiam præbent, ut expellantur tamen e corpore, non ut permaneant. Proxima autem materia ſunt actus ipſius pænitentis, cum de præteritis ſceleribus contritus firmo etiam propoſito non ſolum a peccatis omnibus abſtinendi, uerum etiam de illis ſatisfaciendi, ad confeſſionem accedit. Actio ergo pænitẽtis materiæ loco hic eſt, quemadmodum in matrimonij quoque accidit ſacramento. In alijs uero quinque ſacramentis, ſubſtantiæ quædam exteriores ſunt, quibus patitur, non autem agit niſi per accidens, is qui in illis ſanctificatur. & hæ ſubſtantiæ materiæ locum obtinent. nam in baptiſmo eſt aqua, in confirmatione chriſma, in euchariſtia panis & uinum, in extrema unctione, & ordine olei unguentum; nec mirum, cum in medicinis,*

nis, quæ corporibus ſanandis adhibentur, idem eueniat: interdum enim ut curetur, ægrotus patitur, interdum uero agit. patitur dum ei ulcus rumpitur, & præciditur, dum perforatur abſceſſus, aut membrum ſecatur: agit dum corporis exercitatione ſanatur. cum igitur materiam, & formam habeat pœnitentia, & inuiſibilem gratiam, quæ eſt peccatorum remiſſio, in ſe contineat, per uiſibile ſignum, quòd actus ipſius pœnitentis, paſſioni per accidens admixti, & ſacerdotalis manus impoſitio ſunt, dilucide apparet, quòd pœnitentia ſacramentum ſit. An non ſacramentum dicemus illud, quod tanta obſeruatione, & accuratione a ſaluatore noſtro Chriſto eſt inſtitutum? Pacem primum annunciat, idque non ſemel, ſed iterum, atque iterum facit, ut inde ſciremus quòd pax, quæ per unam tantum remiſſionem peccatorum in animis fidelium naſcitur, primo per baptiſmum, deinde per confeſſionem acquiratur. non eſt pax impijs, dicit Dominus. at hoc nomine tam is qui non credit, quàm etiam is qui credit, ſed de peccatis conteri, & pœnitentiam agere recuſat, intelligitur. Hæc cum dixiſſet, inſufflauit. Magnum profecto myſterium: non enim inſufflauit, ut uita inde apoſtolis elargiretur, quemadmodum inſufflauit in Adam, cum inſpirauit in eum ſpiraculum uitæ, & factus eſt, ut inquit apoſtolus, in animam uiuentem: ſed inſufflauit in eos Spiritum ſanctum. propterea continuo poſt inſufflationem adiunxit, Accipite Spiritum ſanctum. quid ad-

Ioan.20.

Iſa.48.

Gen.2.

1.Cor.15.

adlatrabunt hic græci, qui Spiritum ſanctum a filio non procedere tam obſtinato animo aſſeuerant? ſi inſpiratur a filio, neceſſe eſt ut a filio quoque procedat:
Pſal.118. Pſal.106. *propterea Dauid propheta, os Domini, & uerbum Domini filium uocat, ipſum uero Spiritum ſanctum, Spiritum oris eius appellat, cum ait. Verbo*
Pſal.32. *Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis uirtus eorum. An non igitur ſacramentum, ubi Spiritus ſanctus tam clare dimittendo peccata operatur? ubi peccatum tam dilucide conſtat dimitti?*
Luc. 15. *ubi quis Deo, & Eccleſiæ reconciliatur? ubi in cælo maius gaudium fit, quàm ſupra nonagintanouem*
Eph.5. *iuſtis, qui non indigent pænitentia. Si matrimonium, magnum uocat apoſtolus ſacramentum, propterea quòd nobis referat Chriſti, & Eccleſiæ coniunctionem, cur non eadem ratione pænitentia nobis ſit ſacramentum, cum per eam ſignificanter in Eccleſia explicetur, nouam Dei & animæ, a qua ſe ille propter peccatum ſubtraxerat, coniunctioné? quip-*
2. Cor.6. *pe cum is qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum eo? Accedit ergo præclarum, & diuinum Eccleſiæ uerbum, cum dicitur, Ego te abſoluo, ad elementum, hoc eſt ad actus pænitentis, & fit ſacramentum: Aqua in baptiſmo ſicut nihil prodeſt, et ſordes tantum corporis mundare, non etiam animæ poteſt, niſi accedat diuinum illud uerbum, Ego te baptizo in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti. ita & hic actus ipſius, ſordes, ieiunia, & gemitus pænitentis, quid eſſent niſi ſqualores, & corporis cru-*

ciatus

ciatus uerius, & tormenta, niſi, ubi facultas ſuppetit, accederet præclarum illud uerbum Eccleſiæ: Ego te abſoluo in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti. Verbum ergo Chriſti, diuina utique poteſtas, quam uti pretioſiſſimum pharmacum ad curandos animarum morbos, ipſe reliquit Eccleſiæ, neceſſarium eſt: ſed tantum dic uerbo, inquit centurio, et ſanabitur puer meus. Verbum Dei filius Dei eſt, qui nouiſſimis temporibus propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendens e cælo, incarnatus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria uirgine: propterea ſicut omnia per ipſum uerbum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil eorum quæ in mundo facta ſunt, ita etiam nihil eſt in Eccleſia, credentium ſaluti neceſſarium, quod per ipſius uerbi uerbum non fiat. hoc autem ea ratione inſtitutum eſt, ut in omnibus rebus ſiue corporeis, ſiue incorporeis, & ſpiritualibus, agnoſcamus Chriſtum Dei uerbum, & Dei uirtutem: qui omnia in omnibus operatur, & ut eum in omnibus ueneremur, amplectamur, & adoremus, qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo, & cuius liuore ſanati ſumus. Sacramenta ergo nõ auferunt neque offuſcant Chriſti gratiã, ut falſo cauillantur hæretici, immo conferunt, & ueluti tubi quidam diuini, e cælo eam ad nos in Eccleſiam ducunt. qui igitur ſacramenta ab Eccleſia tollunt, ipſi gratiam auferunt, propterea quòd illius diruunt inſtrumenta. nõ eſt ergo cur tantopere ſe ſolos gratiæ defenſores, & præcones eſſe

Luc. 7.
Ioan. 1.
1. Cor. 12.

iaſtitent, cum ipſi gratiam, ipſi Spiritum ſanctum, ipſi remiſſionem peccatorum ab Eccleſia deturbent, atque eliminent. ſed quid inquam eliminant? immo Eccleſiam omnẽ diruunt, cum Petrum
Matth. 16. *Eccleſiæ petram, cui totum poſt fundamentum Chri*
Prou. 9. *ſtum ædificium nititur, e fundamento ſubducant, cum ſeptem Eccleſiæ columnas, hoc eſt ſeptem Eccleſiæ ſacramenta, quibus diuina ſapientia, Dei ſcilicet uerbum, domum ſibi, ut ait Salomon, extruxit, prorſus conuellant, atque euertant: & quamuis Eccleſiæ fundamentum Chriſtum retinere ſe iactitent, ſine fundamento tamen ſunt, quia ſicut Eccleſia non eſt niſi ſupra fundamentum, ita etiam fundamentum non eſt extra Eccleſiam.*

De Abuſu, Cap. XV.

NIHIL *eſt in Eccleſia tam ſanctum, & tam diuine inſtitutum, quod eo mali, & iniqui homines interdum non abutantur. Chriſti ſatisfactione, quam is pro abolendis totius humani generis peccatis, cum tanta ſanguinis effuſione, egit in cruce, reperiri ne aliquid ſanctius, & diuinius poteſt? non profecto. Et tamen homines, qui ſenſus non ſpiritus ductum ſequuntur, in occaſionem carnis, & deſidiæ illam (ut infra dicemus) accipiunt: & ita quod ad uitam inſtitutum remedium eſt, fit uenenum ad mortem. hoc autẽ Moyſi etiam*
Rom. 7. *legi eueniſſe, apoſtolus ad Romanos commemorat,*
cum

cum ait. inuentum eſt mihi, mandatum quod erat ad uitam, hoc eſſe ad mortem: nam peccatum occaſione accepta per mandatum ſeduxit me, & per illud occidit. idem prorſus euenire in euchariſtiæ ſacramento omnibus conſtat; quia quamuis pro alimento, et ſalute animarum, ueluti glutinum quoddam, quòd nos una cum Chriſto, quem in eo uere, ac re ipſa ſumimus paſſionis illius interea memores, coniunctos et unitos retineat, ſit inſtitutum; nihilominus is qui indigne ad illud accedit, iudicium ſibi manducat, & bibit. hoc autem non contingit ex ipſius remedij defectu, uerum ex abutentis culpa. idem quoque multis modis in pœnitentiæ ſacraméto euenire poſſe, neminem dubitare exiſtimo. Diuus Ambroſius reprehendit eos, qui nullam aliam pœnitentiam agunt, niſi quòd ſe a ſacramentis tantum abſtinent, eoſque miſeros interea appellat, qui cum deberent eam agere, ut communionem acciperent, nolunt tamen, ut non communicent. Alibi inuehitur in eos, qui cum a ſacerdotibus corripiuntur, peccatum ſuum aggrauant, dum negare cupiunt, aut defendere; aſſerens quòd eorum lapſus ibi ſit maior, ubi ſperatur correctio. Gregorius malos ſacerdotes, qui iniuſte ligant, abſoluuntque homines, taxat; cum non cauſarum merita, ſed uoluntatis dumtaxat ſuæ motus ſequũtur. diuus Auguſtinus Auxilium epiſcopum reprehendit, quòd una anathematis ſententia omnes unius domus animas, etiam quæ nó peccauerint, indiſtincte per-

[1. Cor. 11.]

[De pœnit. diſt. 1. c. ſunt qui.]

[Ambr. in Apologia Dauid c. 2.]

[Grego. homil. 26. ſuper ea uerba, quorum remiſeritis peccata.]

[Aug. Auxilio epiſt. 75.]

 cuſſerit.

cuſſerit. ait enim. Nos quoque docere digneris, quo modo recte anathematizetur pro patris peccato filius, aut pro mariti uxor, aut pro domini ſeruus, aut quiſquam etiã in domo nondum natus, ſi eodẽ tempore quo uniuerſa domus eſt anathemate obligata, naſcatur, nec ei poſſit per lauacrũ regenerationis in mortis periculo ſubueniri. neque enim hæc corporalis eſt pœna, qua legimus quoſdam contemptores Dei cum ſuis omnibus, qui eiuſdem impietatis participes non fuerunt, pariter interfectos. tunc quidem ad terrorem uiuentium mortalia corpora perimebantur, quandoque utique moritura. ſpiritalis autem pœna, qua fit, quod ſcriptum eſt, quæ ligaueris in terra, erunt ligata & in cælo, animas obligat: de quibus dictum eſt: Anima patris mea eſt, & anima filii mea eſt: anima quæ peccauerit, ipſa

Eze. 18 *morietur.*

De ſatisfactione, Cap. XVI.

SATISFACTIO *tertia pœnitentiæ pars eſt, & poſt abſolutionem plerunque hodie ſequitur, licet olim ipſam præcederet, non tamen ante confeſſionem: confitebatur enim quis ſcelera ſua, præfigebatur deinde illi pœnitentia; qua peracta, abſolutio poſtremo impendebatur. fit autem ſatisfactio per eleemoſynas, ieiunia, preces, corporis caſtigationes, & alia Chriſtianæ diſciplinæ opera. neceſſaria autem eſt, non pro reatu criminum, & æterna pœna, quæ illis debetur, abolendis*

dis: hæc enim contritione cum ſacramento ipſo con- Thom. 5 .p. in add.q.6.arti.1. & q.10. arti.1. & 2.
feſſionis, uel eius uoto, ubi ſacramentum haberi
non poteſt penitus tolluntur, ſed pro temporali pœ-
na, quæ, deleto peccato, remanet. Catholica enim De pæn.di.1.c. uoluiſſent. §. 2. & 3. & cap. quis aliquando .§.2.
ſententia, peccata, quæ ante fidem, ab iis, quæ poſt
fidem perpetrata ſunt, manifeſto diſtinguit: illa
enim quæ baptiſmum anteceſſere, penitus tolli, & Thomas 3.p.q. 86.art.4.
quo ad reatum, & quo ad omnem pœnam, per ba-
ptiſmum aſſeuerat: at non ita facit in ijs, quæ poſt
baptiſmum peracta ſunt, quippe cum temporariam
quandam, ita ex æterna commutatam, ſanctifica-
to ad purgandum ſupereſſe pœnam in illis prodat:
hoc autem iuſta ratione a diuina iuſtitia introdu-
ctum, recte ab Eccleſia, quæ eſt columna, & fir- 1.Tim.3.
mamentum ueritatis, defenditur. conſentaneum ſi-
quidem eſt, ut peccata quæ ante ueritatis cognitio-
nem, ante depulſas e mente hominum tenebras, an
te ſuſceptam Chriſti fidem, ante datas de non pec-
cando promiſſiones, & ante adoptionem filiorum
Dei peracta ſunt, ampliorem & uberiorem conſe-
quantur remiſſionem, quàm ea, quæ poſt hæc omnia
ſecuta ſunt. Peccantes enim quis, naturali ratione,
cuius Deus ipſe auctor fuit, in cordibus hominum Rom.2.
eam deſcribendo, ante fidem fractam, & uiolatum
iuſiurandum, maiori, & ampliori cum miſericor-
dia recipit, quàm qui poſt hæc omnia pollicita pecca
uerunt: quia is qui ignoranter peccat, paucis, ille Luc.12.
uero qui ſcienter, multis uapulat plagis. Ratio al-
tera horum eſt, quia in baptiſmo ueluti in quo rege-

Thom. 3. p. in add.q.2. artic. 6.ad 3.& q.18. art. 2.

neremur, maiori coniunctione Chriſto quàm in pœnitentia incorporamur, & ita maiorem etiam ab eo gratiam reportamus. Si cum hac Eccleſiæ catholicæ diſtinctione, latum ſacrarum ſcripturarum campum ingrediaris, nihil tibi in ambulando, quod offendat, occurret, nullibi pedem impinges, nuſquam cades impactus: ſi Matthæum publicanum, ſi Mariam peccatricem, ſi Paulum, ſi latronem, & alios quamplurimos abſque aliqua ſatisfactione a Christo ſuſceptos legis: ſi audis idem feciſſe Ioannem Baptiſtam, & Petrum erga eos, qui ab illis ſuſcepere baptiſmum: ſi audis Chriſtum nihil aliud dixiſſe, niſi, uade, & noli amplius peccare: hoc propterea euenit, quia ante fidem, et baptiſmum prolapſi, ſuſcepti ad fidem poſtea ſunt: Da mihi alios poſt fidem, & baptiſmum peccantes, & ego tibi ex Eccleſiæ ſententia aliud dicam: Da Petrum apoſtolorum principem poſtea, Chriſtum negando, delinquentem, nonne audis quòd egreſſus foras fleuit amare? immo tantum fleuit, quod ſemper uſque ad mortem ſub galli cantum, quo tempore ſe Chriſtum negaſſe recolebat, eum àd lugendum, & orandum ſurgere ſolitum fuiſſe, memoriæ à Clemente martyre eius diſcipulo proditum ſit. Da prophetam Dauid poſt tanta a Deo beneficia ſuſcepta peccantem: ſentis quia quamuis audierit a Nathan dimiſſum fuiſſe ſibi peccatum, acriter tamen ſe ipſum excruciat, cinerem tanquam panem manducando, & lacrymis ſtratum ſuum rigando. & ut amplius abluatur

Luc. 5. Act.9. Luc.23. Marc. 1. Act.2. & 4. Ioan.8. Luc.22. Clemens in libro recognitionum. 2. Reg.12. Pſal.101.

Domi-

Dominum rogat, dicens: ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam: Amplius laua me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me. Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. ſuper quæ uerba non ſatis habet, inquit Chryſoſtomus, curatum eſſe uulnus; etiam cicatricem ſanari, priſtinum etiam decorem reſtitui petit. Quid autem erant in eo cicatrices, niſi ſigna quædam ſanati uulneris, & reliquiæ, ſeu diſpoſitiones quædam ad peccandum, poſt dimiſſum peccatum in anima remanentes? quas alibi non bene per pænitentiam curatas, proptereaque rurſum putrefactas dolet, cum ait: Putruerunt, et corruptæ ſunt cicatrices meæ a facie inſipientiæ meæ. Neque hoc prophetæ ſatis fuit. concubinam etiam matrimonio ſibi iungit, ut ablatum illi ex illicito, per licitum concubitum honorem reddat. Facit hæc omnia ſponte per ſe propheta: Deo tamen illa nō ſatis ſunt, propterea nolens etiam uerberatur: filium ex adulterio natum, ingenti cum dolore ſtatim amittit; & uxores ſuas, in pœnam quòd alienas ipſe inuaſerat, ab alijs corrumpendas audit: in quam ſententiam ſcriptum eſt ab Eucherio Lugdunenſi epiſcopo. Si peccatum Dauid tam deteſtabile Dominus tranſtulit, quid eſt quòd omnia, quæ de eodem peccato per prophetam ei a Domino dicta ſunt, poſtmodum tolerauit? ſed proculdubio Dominus delet illud, ſed ſine ultione non deſerit. aut enim ipſe hoc homo in ſe pænitens punit,

Pſal. 50.

Chryſoſt. homil. 2. in pſal. 50.

Thomas 3. p. q. 86. art. 5.

Pſal. 37.

2. Reg. 12.

Eucherius in libro 2. reg. c. 8.

punit, aut hoc Deus cum homine uindicans percutit. nequaquam igitur peccato parcit, quod nullatenus ſine uindicta dimittit. ſic enim Dauid audire poſt conuerſionem meruit. Dominus tranſtulit peccatum tuum: & tamen multis poſt cruciatibus afflictus, ac fugiens, reatum, quem perpetrauerat, exoluit. confirmat hoc ipſum diuus Gregorius ducentis plus minus annis Eucherio poſterior. Peccatum diffidentiæ Moyſi, & Aaron remiſſum utique fuit, & tamen temporaria in illos manſit pœna: ex hac enim cauſa, ipſomet Deo teſte, promiſſionis terram ingredi non potuerunt. idẽ euenit Mariæ ſorori Moyſi, idem reliquo populo Iſrael. Paulus inceſtuoſum Corinthium non recipit, niſi poſt triſtitiam, & publicam obiurgationem: ait enim: ſufficit illi qui eiuſmodi eſt, obiurgatio hæc quæ fit a pluribus. deinde ſubdit: ita ut e contrario magis donetis, & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui eiuſmodi eſt. propter quod obſecro uos ut confirmetis in illum caritatem. & alio in loco: Qui furabatur, inquit, iam non furetur, magis autem laboret operando manibus ſuis, quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſſitatẽ patienti. Audis quam ſatisfactionem furibus imponat apoſtolus: non eſt ſatis, inquit, furtum relinquere, opus eſt ut furto contraria quis operetur, hoc eſt, ut ubi ab aliis ipſe prius illicite res auferebat, eas nunc ipſe labore manuum ſuarum licite partas, pauperibus elargiatur. Nõ ignorabat hoc ipſum Zacheus, qui ſatis ſe feciſ-

2.Reg.12. Greg.lib.9.moralium c. 27. Num.20. 2.Cor.2. Eph.4.

ſe

ſe in ablatis per fraudem rebus non arbitrabatur, niſi in quadruplum illas dominis reſtitueret, & ultra hæc multa etiam de ſubſtantijs ſuis pauperibus donaret. Ecce, inquit, dimidium bonorum meorum Luc. 19. *Domine de pauperibus, & ſi aliquem defraudaui, reddo quadruplum. approbat hanc ſatisfactionem Dominus Ieſus: propterea ſubdit: Hodie ſalus facta eſt huic domui. Mox huius ſalutis rationem explicans, ſubiungit: eo quod & ipſe filius Abrahæ ſit: filius ſcilicet non per carnem, ſed per fidem, operibus, & caritate fecundam: quia ſicut Abraham credidit, & obtulit etiam filium ſuum ſuper altare, ita Zacheus fidem, quæ eſt in Chriſtum amplexus,* Iac. 2. *Deo multa de ſubſtantijs ſuis in pauperibus eſt elargitus. hi autem ueri pœnitentiæ fructus ſunt, ad quos faciendos Ioannes Iudæos exhortans, aiebat: Facite fructus dignos pœnitentiæ. dignos fructus pœ*- Matth. 3. *nitentiæ facimus, inquit Chryſoſtomus, (hoc enim nomine circumfertur liber) cum commiſſis peccatis* Chryſoſt. hom. 10. operis imperfecti in Matth. *aduerſa facimus: aliena rapuiſti, incipe donare propria: longo tempore fornicatus es, a legitimo quoque coniugij uſu ſuſpendere, ac perpetuam continentiam paucorum dierum caſtitate ſæpius meditare. iniuria, uel opere quenquam uel ſermone affeciſti, refer benedictionis uerba: conuicijs te percutientem, nunc officijs, nunc beneficijs placare contende: neque enim uulnerato ſufficit ad ſalutem, ſpicula de corpore euellere, ſed etiam remedia uulneribus oportet adhibere. Delicijs antea, & temulentia diffluebas,*

bas,

bas, ieiunio, & aquæ potu utrunque compenſa, ut famem ſuperes imminentem: uidiſti impudicis alienum decorem oculis, feminam omnino iam non uideas, maiore tactus cautione poſt uulnera. Ioannes euangeliſta Epheſiorum populum poſt acceptam
Apoc.2. *fidem prolapſum reprehendens, ait: Habeo aduerſum te pauca, quòd caritatem tuam primam reliquiſti: memor eſto itaque unde excideris, & age pænitentiam, & prima opera fac: ſin autem, ueniam tibi cito, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pænitentiam egeris. audis quòd ad pænitentiam illum exhortatur, & ne pænitentiæ nomine nudam tantum cordis conuerſionem interpretareris, caritatis opera etiam indicit. Vis ſcire quòd Deus hominem, cuius miſeretur, temporaliter ad correptionē, & emundationē caſtigat, audi quid Deus per pſalmographum ſuũ teſtetur. Viſitabo, ait, in uirga, iniqui*
Pſal.88. *tates eorũ, et in uerberibus peccata eorũ: miſericordiam autē meam non diſpergã ab eis. ſubſcribit huic ſententiæ Salomon illius filius, dum ait: Diſciplinã*
Prou.3. *Domini fili mi ne abijcias, nec deficias cũ ab eo corriperis: quē enim diligit Dominus corripit, et quaſi*
Hebr. 11. *pater in filio complacet ſibi. Item Paulus apoſtolus: Fili mi noli negligere diſciplinã Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris: quem enim diligit Dominus caſtigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. Vocat filium, ut intelligas poſt fidem, & adoptionem in filium peccaſſe, & non flagellari niſi ad ſalutem: recipi deinde illum prodit, ut ſcias per*

pæniten-

pœnitentiam, alteram poſt baptiſmum ſalutis tabulam hoc fieri: poſtremo caſtigationis meminit, ut cognoſcas illum nō recipi abſque aliquibus flagellis. hoc autem Deus facit, ne ingens eius miſericordia omnem prorſus excludat iuſtitiam, ſed potius, ut iuſtitia et pax in dimittendis peccatis oſculentur ſe ipſas. Caſtigat enim nos Deus, poſtquam ex ingenti miſericordia, & infinitis Chriſti meritis peccata dimiſit, & æternam peccatis grauioribus debitam, condonauit pœnam, ut purificati, & emundati cæleſtem illam beatitudinem, in quam nihil coinquinatum intrat, ingrediamur; ueluti cōformes facti imagini filij ſui, qui pro nobis paſſus eſt, nobis relinquens exemplum, ut ſequamur ueſtigia eius: quoniā per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. nam non conregnabimus, ut ait apoſtolus, niſi etiam compatiamur. propterea per Zachariam prophetam de eo dicitur: Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum, ſedebit conflans, & emundans argentum: et purgabit filios Leui, et colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum. deinde quis fructus ex hac purgatione ſequatur, adiungens ait: Et erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia, & placebit Domino ſacrificium Iuda, et Hieruſalem. placet profecto Deo ſacrificiū quod a mundatis, & purificatis fidelibus offertur, ab ijs ſcilicet, qui igne tribulationis, et pœnitentiæ excoquuntur, & a reliquijs peccatorum omnium expurgantur, ut in cæleſti beatitudine unà cum Chriſto, a quo redem-

Pſal. 84. Apoc. 21. Rom. 8. 1. Petr. 2. Act. 14. 1. Timoth. 2. Zach. 3.

redempti per ſanginem ipſius ſunt, gaudere in æter num ualeant: quando opus eſt, ut tunſionibus, preſſuris expoliti lapides, ex quibus cæleſtis illa Hieru ſalem ædificatur, ſuis coaptentur locis per manũ artificis. Paulus apoſtolus ligna, fenũ, ſtipulam quæ ſu
1.Cor.3. *pra Chriſtũ Eccleſiæ fundamentum a fidelibus conſtructa ſunt, ob quã aliam cauſam ab igne prodit exuri, niſi ut is qui ea contra fundamenti rationẽ, ex minimis peccatis, quæ ligni, feni, & ſtipulæ nomine intelliguntur, extruxit, per huius, uel alterius ſæculi temporarios cruciatus emundetur, et emundatus ſalutem conſequatur æternã? propterea dicit: ſi cuius opus arſerit, detrimentũ patietur, ipſe autẽ ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem: quemadmodum ſic audis Chriſtum Ieſum Eccleſiæ fundamentum eſſe, & extra eum aliquid ædificari non poſſe, quod ad ſalutem æternam promerendam condignum ſit: ita etiam audi quod tibi ſatis nõ eſt hoc fidei fundamentum ieciſſe, niſi ſupra illud ædifices, & tale ſit ædificium, quod iacto congruat fundamento, cuiuſmodi ſunt aurum, argentum, lapides pretioſi, hoc eſt Chriſtianæ iuſtitiæ, & ueræ caritatis opera: hoc enim ædificiũ nõ amburetur, immo uti fundamento conueniens manebit, & mercedem ille qui extruxit, accipiet. At ſi quid fundamento parum conueniens ſuperædificatum ſit, cuiuſmodi peccata leuia ſunt, a fundamenti tamen gratia non recedentia, neceſſe eſt, ut hoc opus incongruum, in eo qui extruxit deſtruatur, & amburatur per ignem, & temporarios*

rios cruciatus, ad hoc ut ille qui ædificauit, ſaluetur. quid hic autem nobis ſignificare uoluit Paulus niſi quòd fides ſine operibus mortua eſt? quoniam fundamentum, quod eſt fides in Chriſtum, ædificium operum congruū ſibi, & conueniens poſtulat. Item quòd homo, qui præter fundamenti rationem aliquid ædificauit, per temporariam pœnam, antequàm æternā conſequatur ſalutē, expurgandus eſt: & quòd ſi ſe ipſum per pœnitentias et ſatisfactiones, auerſus interea a peccatis, non emūdauerit, ab ipſo per tribulationes & flagella emūdabitur Deo. propterea in eundem ſenſum alibi dicit: ſi noſmetipſos iudicaremus, non utique iudicaremur: cum iudicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. quod ibi dixit, detrimentum patietur, & ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem, hic dicit: iudicatur, & corripitur, ut non cum hoc mundo damnetur. Hunc locum exponens diuus Bernardus ait: Bonum iudicium, quòd me illi diſtricto, diuinoque iudicio ſubducit, & abſcondit: prorſus horreo incidere in manus Dei uiuentis: uolo uultui iræ iudicatus præſentari, nō iudicandus: ſpiritualis homo omnia diiudicat, & ipſe a nemine iudicatur. iudicabo proinde mala mea, iudicabo & bona: mala melioribus curabo corrigere actibus, diluere lacrymis, punire ieiunijs, ceteriſque ſanctæ laboribus diſciplinæ: in bonis de me humiliter ſentiam, & iuxta præceptum Domini, ſeruum me inutilem reputabo, qui quod facere debui tantum feci: dabo

Iac. 2.

1. Cor. 11.

Bernardus ſer. 55. ſuper cantica.

1. Cor. 2.

Luc. 17.

operam

operam nec lolia pro granis, nec paleas cum granis offerre: ſcrutabor ego uias meas, & ſtudia mea: quo is qui ſcrutaturus eſt Hierusalem in lucernis, nihil inſcrutatú in me ſiue indiſcuſſum inueniat: neq; enim iudicaturus eſt bis in idipſum. et Chryſoſtomus eadē exponens uerba, Vides, ait, quo modo hic inflicta pœna liberat a pœna quæ illic eſt. et in ſequenti homilia: Vt neque, inquit, puniamur, neque pœnas demus, in ſuam quisque conſcientiam ingrediatur, uitamque explicet; cunctisque commiſſis diligenter excuſſis, condemnet animam, quæ hæc patrauit, puniatque cogitationem, affligat, crucietque ſuam ipſius mentem: ſuppliciumque a ſe ipſo exigat pro peccatis per condemnationem, per diligenter actam pænitentiam, per lacrymas, per cõfeſſionem, per ieiunium, per eleemosynam, per continentiam, & caritatem, ut poſſimus omnes omni modo hic depoſitis peccatis, multa cum fiducia illuc proficiſci. diuus Ambroſius de hac per pænitentiá ſatisfactione ſcribens, ait: An quiſquam illam pænitentiá putat, ubi acquirendæ ambitio dignitatis, ubi ipſius copulæ coniugalis uſus? renunciandum ſæculo eſt, ſomno ipſi minus indulgendum quàm natura poſtulat: interpellandus eſt gemitibus, interrumpendus eſt ſuſpirijs, ſequeſtrandus orationibus, uiuendum ita, ut uitali huic moriamur uſui: ſe ipſum ſibi homo abneget, & totus mutetur. ſicut quendam adoleſcentem fabulæ ferunt, poſt amores meretricios peregre profectum, & abolito amore regreſſum, poſtea

Soph. 1. Nahum 1.

Chryſoſt. de Lazaro con. 3.

Ambr. lib. 2. de pænit. c. 10.

ſtea ueteri occurriſſe dilectæ: quæ ubi non interpellatam mirata putauerit non recognitam, rurſus occurrens dixerit: Ego ſum, reſponderit ille: Sed ego non ſum ego. unde bene Dominus ait: Qui uult poſt me uenire, abneget ſemet ipſum, & tollat crucem ſuam, et ſequatur me. et Auguſtinus. Non ſufficit mores, inquit, in melius commutare, et a factis malis recedere, niſi etiam de his quæ facta ſunt ſatisfiat Domino per pænitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium cooperantibus eleemosynis. et his longe uetuſtior Cyprianus: Is ueram, inquit, pænitentiam agit, qui Dei & ſacerdotis præceptis obediens, obſequijs ſuis, & operibus iuſtis Dominum promeretur. et Cabylonenſis synodus, in qua Carolus Magnus interfuit, ait: Qui uero peccata ſua ſacerdotibus, in quorum ſunt parochijs, confeſſi ſunt, & ab his agendæ pænitentiæ conſilium acceperunt, ſi orationibus inſiſtendo, eleemosynas largiendo, mores componendo, uitam emendando, apoſtolorum limina, uel quorumlibet ſanctorum inuiſere deſiderant, horum eſt deuotio modis omnibus collaudanda. Extat liber Timothei nomine inſcriptus, cuius Saluianus epiſcopus Maſſilienſis ad Salonium epiſcopũ ſcribens, meminit: in hoc ſero pænitens, & qui ad mortem usque pænitentiam differt, reprehenditur, propterea quòd ſatisfacere non ualeat. unde dicitur: Quando enim lugebit, qui dies lugendi perdidit? quando ſatisfaciet, qui tempus ſatisfactionis amiſit? ad ieiunia forſitã

Aug. de pænit. medicina, quæ eſt homil. 50.

Cyprian. ad clerum de modo agendi pænit.

Cabilonẽſis syno. c. 45.

longa

longa cófugiet? eſt quidem hoc aliquid: ſed eleemoſynis miſceatur ſecundum illud; Bonú eſt ieiunium cum eleemoſyna. ſed quo modo ei exhomologeſis diu turna opitulabitur iam in extremis ſito? Si nulla, di miſſo per confeſſioné peccato, temporaria pœna ſan ctificatum manet, & caſtigationem omnem abdicamus ab eo, ut quid tam acriter apoſtolus Paulus Co
1. Cor.4. rinthijs fidelibus poſt baptiſmum prolapſis comminatur, dum ait: Quid uultis in uirga ueniá ad uos, an in caritate, et ſpiritu manſuetudinis. et rurſum:
2. Cor.9. Rogo autem uos ne præſens audeá per eam confiden tiá, qua exiſtimor audere in quoſdam, qui arbitran tur nos tanquam ſecundum carnem ambulemus. et
2.Cor.13. alio in loco. Prædixi enim, et prædico ut præſens uo bis, & nunc abſens, ijs qui ante peccauerunt, & ceteris omnibus, quoniam ſi uenero iterum non par cam. Pepercerat prolapſis Paulus, & reuertentibus miſericordiæ gremium non occluſerat: hortatur modo ad pænitentiam & ſatisfactionem, & pœnam contra inobedientes minatur. propterea quibuſdam interiectis ſubdit: Ideo hæc abſens ſcribo, ut non præſens durius agam, ſecundum poteſtatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in deſtructionem. Sed quænam poteſtas hæc eſt, quæ in ædificationem ſit, & non in deſtructionem? Si enim caſtigas, & excómunicas apoſtole, utique deſtruis, non ædificas. Sed audiamus eum alibi exponentem
1.Cor.15. ſe ipſum: Tradidi, inquit, huiuſmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, ut Spiritus ſaluus ſit in die

in die Domini. carnem deſtruit, ut ſpiritum ipſum ſaluet. non eſt igitur hæc deſtructio, uerum ædificatio. rurſus alibi ait. Gaudeo, non quia contriſtati 2.Cor.7.
eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pænitentiam. diſce igitur quod ad correctionem, & ædificationem caſtigat apoſtolus, non ad uindictam, & deſtructionē: et ſi ligat; ligat ut reuertentes ſoluat, & pænitentes recipiat. quòd ſi ipſi reuerti, et ſatisfacere noluerint, quidnam aliud aget, quàm quod alio in loco dicit, Timeo ne cum iterū uenero, humiliet me Deus 2.Cor.12.
apud uos, & lugeam multos ex ijs, qui ante peccauerunt, & non egerunt pænitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam geſſerunt. Si ex peccato originali per baptiſmum dimiſſo, temporaria pœna remanet ſanctificato, cuiuſmodi eſt dolor, metus, labor, fames, ipſa deniq; mors, de qua dicebat apoſtolus: Sicut per unum hominem Rom.5.
peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt: et ſi ex eodem peccato reliquiæ quædam ſuperant baptizatis, ad exercitium, probationem, & meritum a Deo relictæ, qualis eſt fomes ille, quem uidemus in membris no- Rom. 7.
ſtris uti aliam legem repugnantem legi mentis noſtræ, & captiuantem nos in legem peccati, quæ eſt in membris noſtris: cur mirum uideatur alicui, ut idem aſſeratur ab Eccleſia euenire peccatis per confeſſionem deletis? præſertim cū minus abſtergat confeſſio, quàm baptiſmus. ſi dimiſſa culpa, ait Augu

Auguſt.contra Fauſtum Manicheum lib. 22. c.67.
Sap.10.

ſtinus aduerſum Fauſtum, nullus reliquus eſſet ad pœnam reatus, utique nec Adam, poſtquam (auctore Salomone) eduxit eum Deus a delicto ſuo, mortuus eſſet, nec tot ærumnis huius ſæculi, & calamitatibus obnoxius fuiſſet. At uerum eſt, quod Eucherius Lugdunenſis epiſcopus, & poſt eum diuus Gregorius aſſeuerat, exemplum hoc originalis peccati in probationem eorum quæ dicimus, producens in medium: quòd abſoluimur quidem a Deo, et a reatu culpæ, & æterna pœna diluimur, et liberamur: uerũ temporaria pœna remanet abſolutis: quia delicta noſtra ſiue per nos, ſiue per ſe ipſum Deus reſecat, cum relaxat: ab electis enim ſuis iniquitatum maculas ſtudet temporali afflictione tergere, quas in eis in perpetuum non uult uindicare. Bonus pater, qui immenſæ miſericordiæ, qua ſuos ſemper proſequitur, temporariam quandam iuſtitiæ ſeueritatem admiſcet, & ad tempus iraſcitur, ne contra illos iraſcatur poſtea in æternum: recipit quidem ſemper peccantes ex multitudine, & immenſo theſauro miſerationum ſuarum, & in Chriſto uniuerſa peccata illis condonat: iterum peccatis, et ſceleribus ex remiſſione anſam præbere illis non uult, nec ſegnes, & deſidioſos efficere. hoc enim Chriſti militibus haudquaquã conuenit, ſed potius ſollicitos, & ad omne opus bonum inſtructos: & quamuis ex miſericordia ſemper parcat, miſcet tamen iuſtitiam miſericordiæ, ne dum nimium miſericordiæ indulget, credatur non eſſe iuſtus, & iuſti nomine amiſſo, non iuſte

Eucherius lib. 2.Reg.c.8.
Greg. in moralibus lib.9.cap. 27.

iuſte miſerationes exerceat. Verũ hoc a diuina illa natura prorſus eſt alienum: iuſtus enim & miſericors Dominus eſt: attamẽ erga nos exaltat iudicium miſericordia, quia miſerationes eius ſuper omnia opera eius. ut pater enim ſemper nos recipit, & tanquam iudex corrigit ut recipiat: ſi caſtigat, non ſimpliciter uti iudex caſtigat, quia non ad uindictã, ſed ad correptionem hoc facit. pater igitur eſſe non deſinit, dum iudex eſt, ſed bene deſinit eſſe iudex, dum pater fit: quia etſi ad tempus uti iudex caſtigat, in æternum tamen miſeretur ut pater, ſi nulla ſanctificato per confeſſionem homini, temporaria eluenda ſupereſt pœna, ſi nullæ dimiſſi peccati reliquiæ, & ſanati uulneris cicatrices, ſeu uerius diſpoſitiones quædam ad malum per peccatum cõtractæ manent, ob quam rem ſcriptum fuit: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna peccatum extinguit. delictũ enim ſemel extinctum, ut amplius extinguatur neceſſarium minime habet. ſed uerum eſt quod eleemoſyna peccatum extinguit, quia temporarios cruciatus tollit, et fauillas omnes extincti abluit ignis. at non ſolum extinguit, uerum etiam ſi ante fidem facta ſit, hominem ut a Deo illũminetur, de congruo, ut uocant, adiuuat: quemadmodum de Cornelio centurione infideli homine legimus, quòd apparens illi Angelus dixerit: Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. Sed quia ſine Chriſto, & eius fide, hæc illi nihil proderant ad ſalutem, propterea ſubdidit, ut in Ioppem

Pſal.114. Iacob.2. Pſal.144. Eccl.3. Act.10.

ad arceſſendum Petrum mitteret, et ab ipſo audiret, quid ei facto opus eſſet. Scribens de ſatisfactione diuus Ambroſius hanc eandem ſtatuens ſententiam ait: Si enim mulierculæ ſolent, aliquas ferias ſuſceptura, maculas ueſtium ſuarum aqua diluere: cur non magis nos, excepturi natalem Domini, maculas animarum noſtrarum fletibus abluamus? & illæ quidem, ſi adeo infectæ res cellulæ ſordibus extiterint, quòd maculas ſola aqua non purget, addunt mollitiem olei, ſaponis etiam acrimoniam: nos quoque, ſi tam graue peccatum fuerit, ut minime ſolis fletibus abluatur, addamus miſericordiæ oleum, acrimoniáque ieiunij. nullum enim tam graue delictum eſt, quod non purgetur abſtinentia, eleemoſynis extinguatur. ait enim ſanctus propheta: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. magna ergo eſt eleemoſyna, quæ ardentium criminum globos beneuolentiæ ſuæ fonte refrigerat, & quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum: ut quãuis offenſus Deus, quamuis criminibus prouocatus, cogatur liberare eleemoſynis, quem diſpoſuerat punire peccatis. cogitur enim a nobis quodam modo, dum cõpellitur pro actibus noſtris mutare ſententiam, & in uno eodemque homine nunc ſeueritate iudicis promoueri, nunc patris pietate blandiri. pater enim nobis Deus eſt cum bene agimus, iudex noſter eſt cum peccamus. Auguſtinus in eundem ſenſum: Ut cicatricũ ueſtigium peccantibus poſt dimiſſum peccatum manens aboleatur,

tur, ad pænitentiam, & medicamenta ſalubria peccatores mittit: quia medico noſtro ſatis non eſt plagas noſtras, & uulnera curaſſe, cicatrices quoque tollere, & priſtinum decorem reſtituere ſolet. hoc autem uerberando hominem facit, ſi ipſe per pænitentiam ſe ipſum non uerberat, & emundat: quia omnis uictima igne expurgatur, et ſale ſalitur. De propitiato peccato, inquit ſapiens, noli eſſe ſine metu. Sine metu eſt is, qui nihil amplius cogitat ſibi faciendum eſſe poſt dimiſſum peccatum, & nullam ſibi ſupereſſe pœnam ad plenam abſterſionem recogitat; qui iram Dei, temporaliter homines poſt abolita ſcelera uerberantem, ſibi ante oculos nõ ponit. Vis ſcire quòd nobis ſemper aliquid ſupereſt ad extergendum, & abluendum: audi ſaluatorem ipſum noſtrũ dicentem, Qui lotus eſt non indiget niſi ut pedes lauet, ſed eſt mundus totus. pedum uero nomine ſiue peccata ipſa leuia, quæ per humanam conuerſationem infima noſtræ animæ quoquo modo deturpant, ſiue reliquias quaſdã poſt abolita peccata remanentes intelligas; non contendo: ſatis eſt quòd abſterſionem expoſcunt, & Chriſti manu nobis abluuntur: at quamuis abluantur a Chriſto, non tamen ſine candido quodam bonorum operum linteo abluuntur. bonum & candidum linteum ad extergendum eleemoſyna, de qua ſcriptum eſt: Date eleemoſynam, et ecce omnia munda ſunt uobis: bonum linteum oratio, atque ieiunium, quia dæmones etiã alioqui pertinaces ex anima noſtra depellunt. hoc genus dæmoniorum

Marc. 9. Eccl. 1. Ioan. 13. Beda ſuper Ioan. c. 13. Luc. 11. Mat. 17.

niorum, inquit Ieſus, non eijcitur, niſi in ieiunio, et oratione. ſed quare Chriſtus abſtergit, non tamen ſine linteo tergit? quia fides ſine operibus mortua eſt; & gratia nobis non cooperantibus non operatur. non ego ſed gratia Dei mecum, ait apoſtolus: bonum linteum, quod manu ſaluatoris noſtri Chriſti mundatur, & ad extergendum maculas idoneum redditur. quid enim eſſent uniuerſæ iuſtitiæ noſtræ, ſi Chriſti gratia non accederet, niſi, ut ait propheta, pannus menſtruatæ? accedit illa, & emundat, et e panno menſtruato, purificationis efficit pannũ: meritum ex non merito facit, fidẽ qua mereamur clargiens. Vis ſcire quòd hoc linteum operum Chriſtus requirat, audi eum per apoſtolum Paulum clamantem: Gratia enim eſtis ſaluati per fidem, et hoc non ex uobis: Dei enim donum eſt, non ex operibus, ut ne quis glorietur: ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus ut in illis ambulemus. Vides quod Paulus opera poſt fidem nequaquã excludit, ſed fidem tantum operibus anteponit: quia opera ipſa quibus meremur, ſequuntur fidem, non antecedunt. Dum audis fidem, & gratiam, Chriſtum recogita: dum uero legis creatos nos eſſe in Chriſto Ieſu in operibus bonis, ut in illis ambulemus, ſuccurrat tibi linteũ in manu Chriſti: quia ſine me, ait ipſe, nihil poteſtis facere: dum ſubditur in operibus bonis, lintei tibi candor ſuccurrat. quid autem aliud in his uerbis uult ſibi apoſtolus, niſi quòd pannum menſtruatum,

Iac. 2. 1 Cor. 15. Iſai. 64. Ephe. 2. Ioan. 15.

ſtruatum, non linteum purificatum excludit: hoc eſt non opera bona in Chriſto nata, et Chriſti gratia, & nomine a nobis facta, ſed ea quæ fidem omnis iuſtitiæ, ut ait Auguſtinus, initium præceſſere: appa ruit enim nobis gratia ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecun dum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit, & erudi uit nos, atque a peccatorum fæcibus liberatos in lucem ueritatis eduxit. non autem fecit hoc, ut libera ti a peccatis, rurſum in peccatis inuoluti iaceremus, ſed ut liberati a peccatis, ſerui efficeremur iuſtitiæ, ut abnegantes impietatem, et ſæcularia deſideria, ſo brie, iuſte, & pie uiuamus in hoc ſæculo. Gratia enim & miſericordia Dei, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, non pigritiæ, & iniquitatis, ſed ſollicitudi nis, et bonitatis eſt cauſa. Quod ſi ais, Chriſtus pro me ſubijt crucem: ſubijt utique ut ſaluaret, & cru cem tuam ſanctificaret, & idoneã ad aſcendendum in cælum redderet ſcalam, non ut tu ſine cruce, & pænitentijs, in delicijs uiueres, & uoluptatibus. Qui uult uenire poſt me, abneget, inquit, ſemet ipſum, tollat crucem ſuam & ſequatur me. dum audis crucem tuam, intellige tibi quoque crucem eſſe ferendam. non eſt ergo cur tantopere tibi in illa uerbis oblandiaris, ſi interim ipſe cũ tua Chriſtum non ſequeris, quia non decet ſub capite ſpinis coronato, delicatum cubare membrum. propterea Chriſtus ſubdit: quòd qui uoluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam: & qui perdiderit animam ſuam

Aug. Sixto preſbytero ep. 105.

Tit. 1.

Rom. 6.

Tit. 2.

Luc. 9.

propter me, ſaluam faciet illam. ſaluam profectò facit animã, & perdere illam recuſat, qui cum Chriſto pati renuit, & crucifigi: qui uentri & uoluptatibus deditus, Chriſti crucem a ſe proijcit: cuiuſmodi erant illi, de quibus flens dicebat apoſtolus: Inimicos crucis Chriſti, quorum Deus uenter eſt. Si apoſtolus clamat; Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: quis hic apoſtolo contradicit? immenſus enim theſaurus æterna felicitas eſt, & nullis humanis meritis acquiri, & comparari poteſt, ſi ut hominum tantum merita, et non ut merita filiorũ Dei, & per Chriſti gratiam in hominibus facta attenderis: at ſi Chriſtum in nobis operantem, atque merentem, ſi filiorum Dei opera, eorum qui nõ ex ſanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, ſed ex Deo nati ſunt, cõſideraueris, utique cum eodem apoſtolo dices: Omnia poſſum in eo, qui me confortat: & plus omnibus laboraui, non autẽ ego, ſed gratia Dei mecum. et rurſum: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex, non ſolum autem mihi, ſed & iis qui diligunt aduentum eius. In hanc ſententiam ita ſcribit beatus Thomas: Si conſideretur, inquit, opus hominis meritorum ſecundum ſubſtantiam operis, & quatenus ex libero proficiſcitur arbitrio, uita æterna indignum eſt: ſin autem ſpectetur quatenus procedit ex gratia Spiritus

Philip.3.
Rom.8.
Ioan.1.
Philip.4.
1. Cor. 15.
2 Tim.4.
Thomas p. ſecunda, q. 114. art.3.

tus

tus ſancti dignum eſt non propter ſuam, ſed propter Spiritus ſancti dignitatem. Si legis apud Paulum, Abraham non ex operibus, ſed ex fide iuſtificatum; legas etiam expoſitorem Pauli Iacobum apoſtolum cum ait: Vis autem ſcire, o homo inanis, quoniam fides ſine operibus otioſa eſt? Abraham pater noſter nonne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuper altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt. inanem te uocat hominē, uanum, atque inutilem, qui fidem ab operibus ſeiungens, & opera a fide, ſemper credere, operari autem nunquam quæras: & fidem tuam operibus non conſummatam, caritateque minime expletam, otioſam appellat & mortuam. Quid enim aliud ſonant illa uerba: Fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt, niſi quòd cum fide operabatur, & fidem ex operibus explebat? Paulus igitur ueteris legis ſine Chriſto, ut apoſtolica ſedes recte expoſuit, ac etiam gentilitatis, (quod facit in tota illa epiſtola ad Romanos) non fidei, & Chriſtianæ religionis opera a iuſtitia & merito excludit: & nos nō contra gratiam, & fidem opera defendimus, ſed contra inimicos crucis Chriſti, illos ſcilicet, qui opera ſeiungunt a fide, & credere quidem uolunt, pati autem, & operari recuſant. contra illos inquá qui nihil ſibi cum Chriſto agendum, nihil tolerandú exiſtimant: qui nullum meritum, nullam mercedem, nullam ſatisfactionem in ſanctificatis a Chriſto ponunt

Rom. 4.

Iac. 2.

Arauſicenſis 2. Syn. c. 16. & 12. uide late Auguſt. epiſt. 89. ad hilarium.

Philip. 3.

nunt hominibus: qui falſo ſe in Chriſto gloriantes, cum homines deijcere, et meritum ab hominibus au ferre quærant, Chriſtum interea in nobis uiuentem deijciunt: & eius in fidelibus, fideliumque in eo me rita tollunt, & Spiritus ſancti uirtutem in nobis, non tamen ſine nobis operantem, iugulant, & occi dunt: qui nos ueluti muta, & irrationabilia anima lia efficientes, & uolendi, & uoluntarie operandi facultatibus priuant, proptereaue nõ mereri etiam aſſeuerant. Vis ab apoſtolo Paulo paucis uerbis diſcere cũcta quæ dicimus; audi quo modo ille ad Ephe

Ephe.3. *ſios ſcribat. Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur; ut det uobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ, uirtutem corroborari per ſpiritum eius in interiori homine; Chriſtum habitare per fidem in cordibus ueſtris, in caritate radicati, et fundati. Percipis quod Deum orat? ut quid*

Iac.1. *hoc? quia omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a patre luminũ. Sed quid orat? ut uirtutem Spiritus ſancti illis elargiatur. Sed ubinã orat ut elargiatur? profecto non externe, & imputatiue tantum, ut dicitis, ſed in interiori homine, illum ſcilicet commutando, &*

Rom.5. *ſanctificando, ſicut alio in loco ait: Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui*

Eph.4. *datus eſt nobis. et alibi: Renouamini ſpiritu mentis ueſtræ, & induite nouum hominem qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, et ſanctitate ueritatis.*

ad

ad quid autem orat ut donet Spiritum ſanctum? ut per eum Christi fidem recipiant, & non perfunctorie, ſed inhabitātem recipiant. propter quid autem orat ut Chriſti fidem recipiant? ut in caritate radicentur, & fundentur: hoc eſt ut non fidem uacuam, & mortuam, ſed caritate fecundam, & operibus uiuam recipiant. eſt ne aliud hoc quàm quod dicebat Iacobus apoſtolus? Fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt? utique non aliud, quia nec alius ſpiritus, ſed unus et idem Spiritus ſanctus, qui Paulum docuit, & Iacobum. diſce igitur nec Dei gratiam, nec operum per gratiam factorum meritum a nobis auferre, & caritatem a fide nō ſeparare: quia opus quod fides inchoat, caritas perficit: et fides ſine caritate nudum eſt ſine ædificio fundamentum. Si audis Paulum proclamantem: Arbitramur hominem iuſtificari per fidē ſine operibus legis: rurſus nos illud tibi, quod ſupra, reſpondemus, quod Iudæis infidelibus loquitur, qui iuſtitiam ſibi per legem tantum nō per Chriſti fidem uindicabant: quod de illis qui Chriſto nondum per fidem & ſacrum lauacrum incorporati ſunt, ſermonem facit apoſtolus: qui cum nondum ſint effecti filij Dei, ſalutis iuſtitiam per opera quæ fide carent aſtruere ſibi non poſſunt. propterea non opera ſimpliciter, ſed legis opera, ideſt ea quæ fidem Chriſti non habent, commemorat: ſicut alibi quoque dicit: Ex operibus, inquiens, legis non iuſtificabitur omnis caro in conſpectu Dei. et ad Galathas qui ad Iudaiſmum

Iac. 2.

Rom. 3.

Vide Arauſic. 2. Syn. can. 16. & 21.

Rupertus idem aſſerit.

Exod. 28.

Rom. 3.

mum reuerſi fuerant, reprehendens eos ait: Scien-
tes autem quòd non iuſtificatur homo ex operibus
legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti, & nos in Chriſto
Ieſu credidimus, ut iuſtificemur ex fide Chriſti, &
non ex operibus legis: propter quòd ex operibus le-
Gal.3. *gis non iuſtificabitur omnis caro. et rurſus: Itaque*
lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide iuſti
ficemur: at ubi uenit fides, iam non ſumus ſub pæda
gogo: omnes enim filij Dei eſtis per fidem quæ eſt in
Gal.5. *Chriſto Ieſu. et iterum: Ecce ego Paulus dico uobis,*
quoniam ſi circũcidamini, Chriſtus uobis nihil pro-
derit. teſtificor autem rurſus omni homini circumci
denti ſe, quoniam debitor eſt uniuerſæ legi faciendæ.
euacuati eſtis a Chriſto qui in lege iuſtificamini: a
gratia excidiſtis. At ſi dederis homines Deo rena-
tos, & Chriſti membra effectos, qui legi, et eius iu
ſtitiæ mortui, fide uiuant: utique audies eundẽ apo
Rom.7. *ſtolum dicentem: Itaque fratres mei, & uos morti*
ficati eſtis legi per corpus Chriſti, ut ſitis alterius
qui ex mortuis reſurrexit, ut fructificetis Deo. et
Rom.12. *rurſum: Obſecro itaque uos fratres, ut exhibeatis*
corpora ueſtra hoſtiam uiuentem, ſanctam, Deo pla
centem, rationabile obſequium ueſtrum: & nolite
conformari huic ſæculo, ſed renouamini in nouitate
Rom.8. *ſenſus ueſtri. et iterum: Ipſe enim Spiritus teſtimo*
nium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei: ſi
autem filij, & heredes: heredes quidem Dei, cohe-
redes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, ut et con
Iac.1. *glorificemur. et per Iacobum apoſtolum: Eſtote fa*

ctores

ctores uerbi, & non auditores, fallentes uoſmet ipſos: quoniam qui perſpexerit in lege perfectæ libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit: Augu.ep. 105. *ſi beatus in facto, utique iuſtus: quam iuſtitiam fides accepit, caritas conſummauit. fallit autem ſemet ipſum, ait apoſtolus, qui ſibi in ſola fide ſine caritate blanditur, & nudam fidem ſine operibus prædicat, & extollit: qui ideo ſe iuſtitiæ per gratiam, et fidem renatum credit, ut ipſe illam non conſeruet, non expleat, neque augeat, per caritatem: qui in legem quidem perfectæ libertatis perſpicit, dum ſe in ueram & perfectam libertatem a Chriſto uindicatum fuiſſe conſiderat, non autem in ea permanet, operando, nouit quidem ſe a peccatis liberatum & lege, non autem ſe iuſtitiæ et caritatis ſeruum putat effectum: contra illud quod Paulus docet, cum ait:* Rom.6. *Liberati autem a peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ: humanum dico propter infirmitatem carnis ueſtræ. Sicut enim exhibuiſtis mẽbra ueſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra ueſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationẽ: cum enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? nam finis illorum mors eſt: nunc uero liberati a peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum ueſtrum in ſanctificationem, finẽ uero uitam æternam. et alibi. Qui dicit ſe in Chriſto* 1 Ioan.2. *manere, debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.*

re. Quod ſi iterum legis: Iuſtus autem ex fide uiuit: uiuit utique ſi fidem ipſam operibus uiuam retineat, alioquin audiet ab apoſtolo, Fides ſine operibus mortua eſt. quod ſi illa ſine operibus mortua eſt, uiuificare utique mortuum hominem mortua ipſa nō poteſt: nam uitam quam a fide accepit, amittit, illam operibus non nutriendo: fides enim ſine operibus uera quidem eſſe poteſt, uiua uero nequaquam. Si iterum audis, Ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam: recte reputatur ad iuſtitiam fides, quam nulla condigna merita præceſſere, quippe cum ſine meritis, ut ait Ambroſius, ueniatur ad fidem, ex qua naſcuntur merita: non autem reputari ad iuſtitiam poteſt opus, quod fide caret; de quo genere tractat apoſtolus. et quamuis ipſa fides habeat opus, credendi ſcilicet per uoluntatem, & ad baptiſmum poſtea uoluntarie accedendi, cum nolentium, & renuentium nec fides eſſe poſſit, nec ſalus, prima tamen iuſtitiæ origo a fide non ab opere eſt: uerum iuſtitiæ nomen amittit, ſi iuſtitiæ operibus non uireſcat, & per caritatem, dum uiuitur, non perficiatur, cum fides per dilectionem operetur, & legis plenitudo dilectio ſit. apoſtolus omnem fidem, etiam ſi montes transferat, & in ardentes ignium globos credentem iaciat hominem, inutilem, et nullius momenti eſſe prodit, ſi caritatem ſibi iunctā nō habeat. moritur enim fides ſi per caritatem non alatur & conſeruetur, non ſecus quàm moriatur enatus

Iac. 2.
Rom. 4.
Aug. Sixto presbytero epiſto. 105. circa principium.
Gal. 5.
Rom. 13.
1. Cor. 13.
Iac. 2.

tus

tus puer, cui corporis alimenta non ſuggerantur: quoniã, ut ait Beda, filius Dei non manet in illorum cordibus, qui non ſeruant quæ audiunt. Fides hominem ad iuſtitiam format, ſpes animat ad agendum, caritas ad actiones impellit. prima gignit, ſecunda firmat, tertia nutrit. & ſicuti fides ſpem, & ſpes caritatem progignit, ita etiam caritas ambas cõſeruat, & auget. et licet tria hæc mutuo ſe amplectantur, & una indigeat altera, caritas tamen, uti omnium finis, æternum manet: quemadmodum dicebat apoſtolus. Caritas nunquam excidit: & quia æternum manet, & finis omnium eſt, popterea maior etiam eſt. unde ſubditur: Nunc autem manent fides, ſpes, caritas, tria hæc: maior autem horum eſt caritas. Tu ergo qui caritatẽ a iuſtitia excludis, quid aliud niſi Deum ipſum excludis? cum ſcriptum ſit: Deus caritas eſt, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. & licet te præconem fidei facias, & defenſorẽ, tu ipſam potius iugulas fidem, cum ab ea caritatem ſeiungas, et contra fidem operibus, quæ a fide prodeunt, blaſphemando detrahas, & allatres. et ſi tibi debiti, & mercedis reijci nomen eo in loco ab apoſtolo uideatur, cogita tecum parumper cur non reijciat Chriſtus, cum ait: Voca operarios, & redde illis mercedem, cur ille ſub iudicij die, electos in cæleſtem uocet beatitudinem, propterea quòd pauperes caritatis operibus iuuerint, & ſuſtentauerint. reputa cur inquiat Dauid propheta, Cuſtodiui mandata tua propter retri-

Beda ſuper 5. Ioan.c.

1. Cor. 13.

1. Ioan. 4.

Rom. 4.

Matth. 20.

Matth. 25.

Pſal. 118.

butio-

2.Tim.4. *butionem: cur ipſemet apoſtolus, ſeruatam ſibi, & omnibus qui diligunt aduentum filij Dei, mercedem,*
Marc.9. *iuſtitiæ ſcilicet coronam, tantopere aſſeuerat: cur Chriſtus calicem aquæ frigidæ, pauperibus ſuo nomine propinatum, & prophetis iuſtisque hoſpitium eodem nomine præſtitum, ſuam aſſerit habere mer-*
Gen.14. *cedem. & ut eodem exemplo tibi reſpondeam, tecum animo pauliſper examina, cur loquens Deus ad Abraham dixerit: Ego ſum merces tua magna ni-*
Auguſt. Sixto presbytero cõtra pelagianos, epiſt.105. *mis, ſi nec merces inuenitur, nec meritum. at hæc mutuo inter ſe non aduerſantur, ſi opera, uti ſupra diximus, ante partam fidem, ab iis quæ proceſſerunt ex fide ſeparaueris. Illa enim cum in Chriſto facta nõ ſint, & diuinam illam Spiritus ſancti uir-*
Thomas 1.2.q. 114.art.3. *tutem, omnem beatitudinem promerentis, in ſe non habuerint, cum non filiorum Dei, ſed filiorum iræ opera fuerint; mereri utique fidem, ex qua Abraham iuſtificatum fuiſſe apoſtolus dicit, digna non*
1.Cor.3. *ſunt: quæ uero prodierunt ex fide, cum fidei habeant fundamentum, quod Chriſtus eſt, & a filijs Dei omnia bona promerẽtis peracta ſint: cum Chriſtum in nobis uiuentem, & operantem agnoſcant. De*
Gal.2. *quo dicebat Paulus, Viuo ego, iam non ego, uiuit uero in me Chriſtus. & alibi: An experimentum*
1.Cor.13. *quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus. & rur-*
1.Cor.15. *ſum, dum opera a ſe facta recenſet, ait: Non autem ego, ſed gratia Dei mecum, & meritum habent, & mercedem. Habent autem, quia quamuis diuino inchoentur, & perficiantur auxilio, fiunt tamen a nobis*

nobis & uolentibus, et cooperantibus: gratia enim Dei ſicut non abolet, ſed adolet, ut inquit ille, liberam hominis uoluntatem, ita cum adiuuat ad operandum, confortat, & erigit operantem, non deijcit, aut debilitat. non enim, ut ait Auguſtinus, uoluntatis arbitrium ideo tollitur, quia iuuatur, ſed ideo iuuatur, quia non tollitur. Non habuit igitur Abraham fidem ex merito, ſed meritum ex fide eſt aſſecutus, & ita non fidem, ſed Deum ipſum pro mercede recepit: quia non erant in eo opera ante fidem, ex quibus ipſam fidem promereretur, ſed bene fuerunt opera condigna poſt fidē, ex quibus æternam beatitudinem, quæ Deus eſt, pro mercede aſſequeretur. Quod ſi audis, Chriſtum pro peccatis totius mundi ſatisfeciſſe, & ipſum eſſe propitiationem pro peccatis noſtris, noſque per eum liberatos fuiſſe a lege peccati, & mortis: quis tibi hac in re contradicit? quis non credit, non confitetur, & cum ingenti gratiarum actione nō amplectitur magnum hoc & diuinum immenſæ miſericordiæ beneficium, quod immeritis nobis & cunctis peccatorum generibus illaqueatis, præſtitū eſt? de quo admiratus apoſtolus exclamabat dicens: Vt quid enim cum adhuc infirmi eſſemus Chriſtus pro impijs mortuus eſt? & Ioannes: ſic Deus, inquiens, dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret: Nunquid hunc fontem aquæ uiuæ derelinquemus, & fodiemus nobis ciſternas diſſipatas, quæ continere aquas non poſſunt; cum non ſit aliud nomen ſub cælo datum homi-

Proſper Aquitanicus.

Aug. Hilario epiſt. 89.

Auguſt. late in dicta epiſt. 105.

1. Ioan. 2.

Rom. 8.

Rom. 5.

Ioan. 3.

Hier. 2.

Act. 4.

nibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri? & ubi nam erit ſpes noſtra, ſi ſalutem, quam habemus a Chriſto, proijciamus, cum illum ſolum propoſuerit Deus pro pitiatorẽ per fidẽ in ſanguine ipſius ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ propter remiſſionẽ præcedentium delicto rum? non ergo abijcimus gratiam Dei, ſed illam tan tum uacuam eſſe nolumus: neque qualesquales ſatisfactiones noſtras aduerſus Chriſti immenſam, & plenam ſatisfactionem defendimus, immo noſtris ab ea uires mutuamur, & robora: & ſicut a Chriſto gratiam ad merendum, ita ab eius ſatisfactione uires ad ſatisfaciendũ accepiſſe nos dicimus. non enim Chriſti membra effecti ſumus, ut ille in nobis per iuſtitiam & caritatem nõ uiuat: hoc enim ad mortua non ad uiua pertinet membra: ſed conſepulti ſumus cum illo per baptiſmum in mortẽ, ut quo modo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriã patris, et ita nos in nouitate uitæ ambulemus. Quòd ſi nulla in nobis operatio ſancta, ſi meritũ nullũ, et nulla ſatisfactio eſt, neque Chriſtus in nobis habitat, per quẽ hæc omnia facere ualeamus, neque nos una cũ Chriſto cõiuncti, et incorporati ſumus: hoc ſi dicimus, profecto contra apoſtolũ dicimus; cum ait: Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cũ eo. et contra illud. Veritatem autẽ facientes in caritate creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus: ex quo totũ corpus cõpactum, et connexũ per omnem iuncturã ſubminiſtrationis, ſecundũ operationẽ in menſuram uniuscuiusq; mẽbri augumentũ corporis facit in ædificationem ſui in caritate. Si Chriſtus igitur uiuit in nobis

Rom.3. Gal.2. 1.Cor.15. 2.Cor.6. Rom.6. 1.Cor.6. Eph.4.

per Spiritum ſanctū, qui datus eſt nobis, ſi nos una cum eo tanquam membra cum capite coniuncti & uniti ſumus; & ſi ex capite, ut ait apoſtolus, totum corpus compactum, & connexum eſt, & nullum eſt corporis membrum, nulla iunctura, quæ ab ipſo capite participationem non habeat: operari ergo in eo, mereri, et ſatisfacere poſſumus, quia cum pertineamus ad caput, ad eius quoque pertinemus gratias, & uirtutes: quæ tot & tantæ ſunt, ut nō ſolum in corpus, ſed in oram quoque corporis ueſtimenti deſcendant, ut ait pſalmographus. alioqui ſi nec mereri, nec ſatisfacere ualeremus in Chriſto, corpus nec augmentū ſui faceret, neque in Chriſto creſceret, contra illud quod docet apoſtolus, et contra Chriſti ſententiam, qui gratiarum, & miſerationum ſuarum donata talenta, augeri ab ijs qui acceperunt, & multiplicari, non intacta, & defoſſa ſeruari nos docuit. Tu igitur Chriſtum a nobis diuidere, & nos ab illo ſeparare contendis: tu uti arida & mortua membra a capitis uigore nos ſcindis: & dum nos nihil mereri, nihil ſatisfacere poſſe contendis, non aduertis quòd Chriſto in nobis habitanti iniuriam facis; neſcis quia Spiritū ſanctum exſufflas, & explodis a nobis: non uides quòd uiuentem in nobis Deum occidis, quippe cum ſimus in eo, uiuamus, & moueamur: nec attendis quòd nos ueluti irrationabilia pecora efficis, dum tanquam per muta, & mortua quædam inſtrumenta, illum operari argumentaris in nobis. ſapientia hæc, teſte Iacobo, mun-

Pſal. 132.
Matth. 25.
Luc. 19.
Act. 17.
Iac. 3.

dana eſt terrena: at ea quæ deſurſum eſt ſapientia, plena eſt miſericordia, & fructibus bonis, cum fru-
Eph.5. *ctus lucis, ut inquit apoſtolus, in omni bonitate ſit, iuſtitia, & ueritate. Vis ſcire quòd fidem, caritatem, & omnem iuſtitiam augere, non uacuas, & inanes, ac ſolo nomine, & nuda credulitate amplexatas retinere debeamus: audi obſecro orantes apo-*
Luc.17. *ſtolos, & dicentes: Domine adauge nobis fidem. et*
1.Theſſ.3. *Paulum docentē parumper auſculta: Nocte ac die, inquit, orantes, ut uideamus faciem ueſtram, & compleamus ea, quæ deſunt fidei ueſtræ. et poſt pauca: Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat caritatem ueſtram in inuicem, & in omnes.*
1.Theſſ.4. *& rurſus: Rogamus autem uos fratres, ut abundetis magis, & operam detis, ut quieti ſitis. & in alia epiſtola: Gratias agere debemus ſemper Deo*
2.Theſſ.1. *pro uobis fratres, ita ut dignum eſt, quoniam ſupercreſcit fides ueſtra, et abundat caritas uniuſcu-*
Apoc.22. *iuſque ueſtrum in inuicem. et Ioannes: Qui iuſtus eſt, ait, iuſtificetur adhuc. Si corpus igitur Chriſti,*
Eph. 1. Eph. 4. *quod eſt Eccleſia, augumentum ſui per iuſtitiam facit & caritatem, neceſſe eſt ut iuſtitia & caritas nō in humana perſuaſione, ſed in ueritate conſiſtant. alioqui non iuſtitiæ & caritatis, ſed perſuaſionis illarum eſſet augumentum. at quorſum hæc? ut cōcludamus, quod ſicut uirtus, & iuſtitia uere inueniri, & augeri per Dei gratiam, ita etiam per eandē gratiam inueniri, & augeri ſatisfactio poteſt in nobis, cum uirtute, & iuſtitia, non perſuaſione quis ſatisfa-*

tisfaciat. At inquis, ſi Chriſtus pro nobis plene, & exuberanter per paſſionem ſuam ſatisfecit, utquid tu alteram ſatisfactionem prædicas nobis? num uis contra illud quod dixeras, relicto fonte aquæ uiuæ, ad ciſternas diſſipatas nos ducere? non profecto: cũ omnis ſatisfactio noſtra Chriſti ſatisfactio ſit. a Chriſto enim & recte operandi, & ſatisfaciendi uires accipimus, & ille meretur, & ſatisfacit in nobis, et nos in illo. Verum ut tanti, & tam diuini myſterij altitudinem, et præcellentiã noſcas, conſidera quòd Eccleſia, uti corpus quoddam perfectum & abſolutum, ex capite conſtat, & membris. Caput Chriſtus eſt, de quo ſcribit apoſtolus: Omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam. membra uero fideles illius ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Nos ſumus corpus Chriſti, & membra de membro. tanta autem coniunctio eſt inter caput ipſum, & membra, ut excellentius quàm humani corporis more (in quo ſi patitur unum membrum compatiuntur etiam cetera membra) dicatur capiti euenire quod membris euenit, & membris ſimiliter euenire, quod capiti euenit. Magna unitas, diuina profecto copulatio, immo tanta, ut uxoris & uiri coniunctio, qua maior in hoc terrarum orbe aliqua non reperitur, ab hac Eccleſiæ cum Chriſto coniunctione formam & decorem acceperit. Sacramentum hoc magnum eſt, ait apoſtolus: ego autẽ dico in Chriſto, & in Eccleſia. hoc eſt ideo magnum ſacramentum uiri & uxoris coniunctio,

Hier. 2. Eph. 1. 1. Cor. 12. Eph. 5.

quia Chriſti et Eccleſiæ coniunctionem præſe fert. quo modo non magna coniunctio, ubi cuncta mutuo
1. Cor. 6. *communicantur; & ubi qui adhæret Deo unus ſpiritus fit cum eo? quo modo nō magna, cum pro ea ita ad patrem Chriſtus orauerit:*
Ioan. 17. *Non pro eis autē rogo tantum, ſed et pro eis qui credituri ſunt per uerbum eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unū ſint, ut credat mundus quia tu me miſiſti: & ego claritatem, quam tu dediſti mihi, dedi eis: ut ſint unum, ſicut et nos unum ſumus; ego in eis, et tu in me, ut ſint conſummati in unum. Audi diuinæ altitudinē coniunctionis: auſculta innouationis myſteriū. Chri*
Gal. 2. *ſto confixus ſum cruci, clamat apoſtolus, uiuo ego, iam non ego, uiuit uero in me Chriſtus. & alibi:*
2. Cor. 13. *An experimentum eius quæritis, qui in me loquitur*
Gal. 3. *Chriſtus? & rurſum. Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. et iterum: Qui ma-*
Ioan. 15. *net in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Vis diſcere quòd quæ capiti euenerunt, membris quoque eueniſſe dicuntur, et contra? ſi pro omnibus*
2. Cor. 5. *Chriſtus mortuus eſt, inquit apoſtolus, ergo omnes mortui ſunt. et alio in loco, dum nos per Spiritus ſancti uirtutem ad lacrymas, et gemitus inter orandum excitatos exprimere uellet, ipſum Spiritū ſanctum lugere dixit. nā quid oremus, ait, ſicut opor*
Rom. 8. *tet, neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Audiſtine, quòd nos in Chriſto paſſi fuiſſe dicimur? audi nunc quo modo*

ille

ille in nobis pati dicatur. Loquitur ad Saulum & ait: Saule, Saule quid me perſequeris? qui dixit, quis es Domine? & ille, ego ſum Ieſus quem tu perſequeris. Membra perſequebatur Saulus, non ipſum caput, & tamen ſe a Saulo perſecutionem pati caput clamabat. quemadmodum percuſſo pede, lingua proclamat, & ait, tu me percutis. hoc autem non attritione caput faciebat, aut dolore: cum diuina natura a cunctis humanis paſſionibus omnino expers ſit, et aliena: ſed quia iniuriam ſuis membris illatam ſibi reputabat illatam: quemadmodum in alio loco miſericordiā ſuis exhibitam, uti ſibi exhibitam adſcribit, cū ait: Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. hanc igitur diuinam, et admirabilem Eccleſiæ cum Chriſto, et Chriſti cum Eccleſia coniunctionem ſi recte perceperis, & intellexeris, profecto nō miraberis quòd dicimus, Eccleſiam quotidie mereri, et ſatisfacere: quia ſicut uiuit Chriſtus, & operatur quotidie in membris ſuis, ita etiā meretur, & ſatisfacit in membris, & membra ſimiliter in eo. non autem hoc euenit quòd illi ad ſatisfaciendum aliquid deſit, cum una tantum eius ſanguinis gutta, ne dum ingens illa profuſio, ſatis fuerit ad totum terrarum orbem redimendum, ſed quia qui paſſus eſt in ſe, tanquam in capite, in membris quoque ſuis pati uult, & ſatisfacere. hoc autem facit, ut conformia capiti membra ſint, & ut quemadmodum regnare, & beari cū capite cupiunt membra, ita etiā patiantur cum eo, ſicut ſcriptum eſt:

Act.9.

Matth.25.

Si autem filij, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur. Nihil ergo deeſt paſſioni, & ſatisfactioni Chriſti, quam uti caput in cruce pro nobis egit, ſed deeſt paſſioni, et ſatisfactioni illi, quam in ſuis membris adimplere requirit. Ne turberis ad hæc, neque exhorreas: audi Paulum hoc ipſum eru ditiſſimis, & clariſſimis uerbis dicenté. Qui nunc
Col.1. *gaudeo, inquit, in paſſionibus pro uobis, et adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea pro corpore eius, quod eſt eccleſia. Audis quòd aliqua deeſſe paſſionibus Chriſti clamat apoſtolus. ſed quo modo deeſſe dicit? utique non Chriſto tanquam capiti, quippe cum omnis paſſionum eius menſura impleta, & conſummata per crucem fuerit, quem-*
Ioan. 19. *admodum ſignificauit, cum dixit: Cónſummatũ eſt. et ſicut docet apoſtolus cum ait: In qua uoluntate ſanctificati ſumus per oblationẽ corporis Ieſu Chri*
Heb.10. *ſti ſemel. et poſt pauca: Vna enim oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos. ſed deeſt, inquit, paſſionibus Chriſti in carne mea: hoc eſt in me tanquã illius mẽbro: ueluti diceret: Chriſtus qui in mẽbris ſuis quotidie, humano loquendi modo, patitur, adhuc in me perfecte paſſus nõ eſt: quia ego menſuram paſſionum eius in me a Deo præfixam, & ordinatam nondum impleui: Et agnus ille qui ab ori-*
Apoc.13. Gen.4. Matth.23. *gine mundi in membris ſuis, cuiuſmodi fuit Abel, occidi cœpit, adhuc in me plene paſſus, & crucifixus minime eſt, propterea gaudeo, inquit, quòd*

quotidie

quotidie adimpleo ea quæ deſunt ad profectum, & utilitatem ueſtrā, & ad emolumentum totius Eccleſiæ. Si igitur Chriſtus quotidie operatur in nobis, quemadmodum ſcriptum eſt: Pater meus uſq; modo operatur, & ego operor. Si in ipſo quotidie ſumus, uiuimus, & mouemur, cur mirum uideatur alicui, quod dicimus, Chriſtum mereri et ſatisfacere in nobis & nos in illo? hæc enim continua, & qualisqualis ſatisfactio, diuinæ, & immenſæ illi ſatisfactioni, quam ſemel in cruce pro nobis egit, nihil detrahit, nihil præiudicat, immo ab ea uirtutē mutuatur, & robur: præter quòd Chriſti ſatisfactio hæc etiam eſt: non enim niſi per eius opem, auxiliumque impletur: ipſe enim perficit eam in membris ſuis. quare autem perficiat, ab apoſtolo audiamus. Oportet nos, inquit, per multas tribulationes introire in regnum Dei. quia quamuis Chriſtus pro nobis paſſus ſit, nobis tamen reliquit exemplum ut ſequamur ueſtigia eius. propterea caput ipſum clamabat ad membra & dicebat: Qui uult uenire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucē ſuam, & ſequatur me. & per Paulum: Si complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus: hoc ſcientes, quia uetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, ut ultra non ſeruiamus peccato: qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt a peccato. Si autem mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia ſimul etiam uiuemus cum Chriſto. & ad Hebræos: Vt non ſegnes efficia-

Ioan.5. Act.17. Act.14. 1.Petr.2. Matth.8. Rom. 6. Heb.6.

Heb. 6. *efficiamini, uerum imitatores eorum qui fide, & patientia hereditabunt promiſſiones. & ad Corin-*
2. Cor. 4. *thios: Semper mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circũferentes, ut et uita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris. Semper enim nos qui uiuimus, in morte tradimur propter Ieſum, ut & uita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali. Per tribulationem itaque & crucem tranſire facit Dominus filios ſuos. in quem ſenſum dictum eſt a pro-*
Pſal. 65. *pheta Dauid: Tranſiuimus per ignem, & aquam,*
Hebr. 11. *& eduxiſti nos in refrigerium. & nullus a Deo extra caſtigationis diſciplinam relinquitur, ut ait Paulus apoſtolus, niſi ſpurius, & adulter. Tria hactenus diximus: primo quòd inter Chriſtum, & Eccleſiam ingens & admirabilis per ſpiritum coniunctio, & unitas eſt. Secundo quòd ex iſta coniunctione, & unitate ſequitur quòd in Chriſto recte operari, mereri, & ſatisfacere pro tẽporaria poſſumus pœna, quæ reliqua eſt poſt dimiſſum peccatũ, & æternam una cum dimiſſione peccati abolitam. Tertio quòd emundatio hæc & ſatisfactio, ſi ſponte a nobis non ſuſcipiatur, ab ipſo Deo per flagella, & temporarios cruciatus, prout illi placuerit, ſubeundos nobis, cum ab eo diligimur, etiam nolentibus, & renuentibus implenda ſtatuitur. & licet momentanea & breuis ſit diſciplina, æternam tamen et immenſam beatitudinem nobis promeretur in cæ-*
2. Cor. 4. *lis, ſicut dictum ab apoſtolo eſt, cum ait: Id enim quod in præſenti eſt, momentaneum, & leue tribula-*

bulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis quæ uidentur, ſed quæ non uidentur. quæ enim uidentur temporalia ſunt, quæ autem non uidentur æterna ſunt. Vis autem hæc tria ab ipſo Dei uerbo, unico cuncta perdiſcere exemplo: audi obſecro, quid dicat: Ego ſum uitis uera, & pater meus agricola eſt: omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum purgabit eum, ut fructus plus afferat. & poſt pauca: Manete in me, & ego in uobis: ſicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in uite, ſic nec uos niſi in me manſeritis. Ego ſum uitis, uos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere: ſi quis in me non manſerit, mittetur foras, ſicut palmes, et areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardebit. Chriſti & Eccleſiæ diuina, & ſpiritualis coniunctio exprimitur per ea uerba, quibus dicitur: Ego ſum uitis, & uos palmites. quæ enim maior coniunctio eſſe poteſt, quàm uitis, & palmitis? palmes enim ita iunctus, & unitus eſt uiti, ut in ea ſola uiuat, et ab ea uigorem capiat. Quòd autem in Chriſto recte operemur, & per eius gratiam meriti ac ſatisfactionis fructus feramus, oſtenditur ex illis, ſicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in uite, ita & uos, niſi in me manſeritis. propterea ſubditur: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. ſi inquias hominem per ſolam

Ioan. 15.

*lam dumtaxat fidem in Chriſto manere, cum ſcri-
Rom.11. ptum ſit: Tu autem fides ſtas: audi per eundem
Ioannem apoſtolum quid tibi hac in re reſpondeatur.
1.Ioan.2. Qui dicit, ait, ſe noſſe Deum, & mandata eius non
cuſtodit, mendax eſt, & in eo ueritas non eſt. qui
autem ſeruat uerbum eius, uere in hoc caritas Dei
perfecta eſt: in hoc ſcimus quoniam in ipſo ſumus.
qui dicit ſe in ipſo manere, debet ſicut ille ambula-
uit, & ipſe ambulare. in quam ſententiam a Chri-
Matth.7. ſto etiam dictum fuit: Ex fructibus eorum cognoſce
tis eos. Paulus, qualiſnam in chriſtiano requira-
Gal.5. tur fides, eleganter exprimit, dum ait: in Chriſto
Ieſu neque circumciſio aliquid ualet, neque præpu-
1.Tim.1. tium, ſed fides, quæ per caritatem operatur. et ali-
bi: finis autem præcepti eſt caritas de corde puro, &
1.Ioan.4. conſcientia bona, et fide non ficta. et Ioannes. Qui
manet in caritate in Deo manet, & Deus in eo. fi-
des enim quæ per dilectionem non operatur, mortua
Iac.2. a Iacobo apoſtolo dicitur; & Paulus uacuam appel
lat gratiam, quæ ſanctis operibus non expleatur,
2.Cor.6. unde ait: Videte ne in uacuum gratiam Dei recipia
1.Cor.15. tis. et rurſum: Gratia autē Dei ſum id, quod ſum:
& gratia eius in me uacua non fuit. cur autem non
fuerit uacua, ſtatim ſe ipſum exponendo, dicit: Sed
abundantius illis omnibus laboraui. et ne putares il
lum ſine Dei gratia, aut potius gratiam abſque eo
opera perfeciſſe, ſubdit: Non autem ego, ſed gratia
Dei mecum. quid autē aliud eſt hoc, niſi illud, quod
Ioan.15. exemplo uitis a Chriſto didicimus? cum ait quòd pal*

mes

mes fructum ferre non poteſt, niſi manſerit in uite. ſi igitur a fide caritatem amoueas, profecto langueſcet fides, areſcet ac morietur, quia fides ſine operibus mortua eſt. Sed quid eueniet homini qui ſine caritate inuenitur? audiamus hoc ab ipſo, & fidei & caritatis auctore Christo. Omnem palmitẽ, inquit, in me non ferentem fructum tollet eum: & ſi quis in me non manſerit, mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardebit. ſimilia his dicit Ioannes Baptiſta, cum ait: Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur. Quid autem eſt, colligent eum, et in ignem mittent, & ardebit? utique quod alibi dixit: Ligatis manibus, & pedibus mittite illum in tenebras exteriores. et diſcedite a me maledicti in ignem æternum: quia caritatis opera erga me minime exercuiſtis. Quòd autem ſi nos ipſos de male perpetratis rebus ſponte non caſtigemus, ab ipſo, a quo diligimur, Domino pro emendatione nolentes flagellemur ad tempus, ſupra ex Paulo oſtendimus ex illis uerbis: Ideo inter uos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. quòd ſi nos met ipſos dijudicaremus, non utique iudicaremur: cum iudicamur autem a Domino, corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. At hoc ſatis non eſt: interdum enim Dominus caſtigat etiam bonos, illos, inquam, qui fidẽ operibus explent, & caritate: quemadmodum legimus eueniſſe Iob homini ipſius Dei ore ſuper ceteros

Iac.2. Ioan.15. Luc.3. Matth. 22. Matth. 25. 1.Cor.11. Greg.21. mor. c.4. Iob.1.

ros omnes mortales laudato, de quo ita ſcribit Iacobus apoſtolus: Sufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini uidiſtis, quòd miſericors Dominus eſt, & miſerator. hoc autem Dominus facit, uel ad propalandam ipſius gloriam, & ut ceteris ſalutis, & patientiæ inde oriatur exemplum, uel ut emundatus a peccatorum reliquijs, filius qui deliquit, maiores et uberiores in Chriſto afferat fructus. unde ſubditur: Eum uero, qui fert fructum, purgabit, ut fructus plus afferat. ſi igitur purgatur palmes, qui fructifer manet in uite, quo nomine fidelis in Chriſto manens, & caritatis operibus exercendis intentus ſignificatur, unde tam mirum tibi uidetur, quòd per diuerſos cruciatus, uel a diuina iuſtitia nobis inflictos, uel a nobis uoluntarie ſuſceptos, hominem ſacramento cõfeſſionis abſolutũ purgari a quibuſdam peccatorum reliquijs, & a temporaria diximus pœna, & ita diuinæ ſatisfactum iri iuſtitiæ, eo modo, quo eſt expoſitum, confirmauimus? Palmes enim qui manet in uite, fidelem in Chriſto manentem nobis ſignificat: manere autem in Chriſto non poteſt niſi gratiam aut ſuſceptam, aut recuperatam obtineat. Sed quamuis in uite ſolutus a peccatis maneat homo, purgandus tamen a minimis etiam eſt: quia quanto magis a peccati reliquijs emundabitur, tanto maiores, & uberiores afferet fructus. nam et uiti ſuperflua quædam, & arida ſarmenta ideo præciduntur, ut uigor plantæ in ſe collectus, fortior ad ferendas uuas egrediatur. Mirum igitur non eſt, ſi

Iacob. 5.

Iac. 15.

Thomas 3. p. q. 86. art. 5.

tribu-

tribulationes, & flagella fidelibus hominibus immittantur a Deo: quippe cum per ea ſe ſe recolligat animus, qui per diuerſas mundi uanitates egreſſus, creatoris, & ſalutis ſuæ oblitus, quoquo ferebat ſenſus, euagari ſolebat. Eſt aliud etiã, et præcipuum bonum, quod per tribulationes, et caſtigationes ſeu ſponte ſuſceptas, ſeu nolentibus a Domino iniectas, nobis paratur. Hoc autem ſeruitus eſt, in quã rebellans aſpiritu corpus redigitur, ne in legem peccati, quæ in membris noſtris uiget, captiuus animus deducatur: diſcit enim per eas corpus aſpiritu nõ rebellare. in quẽ ſenſum ſe ipſum flagellaſſe clamat apoſtolus cum ait: Caſtigo corpus meũ, et in ſeruitutem redigo, ne cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. 1.Cor.9. *Si ſe ipſum caſtigat apoſtolus, & in laboribus plurimis, uigilijs, inedijs, & alijs Chri-* 2.Cor.11. *ſtianæ operibus diſciplinæ corpus ſuum emaciat, & diſtendit, quisnam Chriſtianorum erit tam audax, ut pænitentias, & pia miſerentis Eccleſiæ flagra a ſe abdicare, & reijcere uelit? periret altera Eccleſiæ clauis, & ubi ad remedium, & medicinam peccatorum eſt inſtituta, eius uſus niſi in rebelles, & obſtinatos non eſſet, ſi pænitentias ab Eccleſia protruderemus. Quòd ſi inquias ſatisfactionis nomen in ſacris litteris, prout modo accipimus, minime inueniri, proptereaque etiam ſatisfactionẽ ipſam reijciendã fore inde argumenteris: uide ne ita ſentiens, una cum Arianis ſentias, & eorum hæreſeos defenſor euadas, conſubſtantialem patri filium ideo negans*

gans, quòd hoc nomen ὁμοούσιον græcis dictum penes ſacram ſcripturam non inueniatur. Idemque de Trinitate, & alijs quamplurimis, primis fidei noſtræ dogmatibus, etiam facias: quaſi nobis de nomine, & non potius de re ipſa quæſtio ſit. Quid autem aliud eſt ſatisfactio, quàm digna pœnitentiæ opera facere? quod ipſum eleganter ſimul & ſancte explicans Ioannes Baptiſta aiebat: Progenies uiperarũ, quis demonſtrauit uobis fugere a uentura ira? facite ergo fructum dignum pœnitentiæ, & ne uelitis dicere intra uos, Patrẽ habemus Abraham. his uerbis Phariſæos, & Sadducæos ad iſtam pœnitentiã adhortabatur, & eos interim admonebat, ne ſe ſecuros propterea exiſtimarẽt, quòd e progenie Abraham eſſent: Ne uelitis, inquit, dicere intra uos, Patrem habemus Abraham. Quid eſt hoc, Patrem habemus Abraham? utiq; id ipſum, quod uos etiã dicitis, cum in ſola fide, cuius pater Abraham fuit, (pœnitentias interea, et omnem eccleſiæ diſciplinam proijcientes) confiditis. facite, ait, fructum dignũ pœnitentiæ. et ne putares, ut dicitis, ſolã cordis a peccatis auerſionẽ, et cõuerſionem ad Deũ, pœnitentiæ nomine illũ intellexiſſe, illico ſe ipſum declarat dicẽs: Omnis arbor quæ nõ facit fructum bonũ, excidetur, & in ignem mittetur. ſi exciditur arbor, quæ bonos non progignit fructus, quanto magis excidi meretur illa, quæ ſe a malis fructibus per pœnitentiæ, & ſatisfactionis opera non emundauerit? ſatisfactionem igitur per fructus pœnitentiæ dignos Ioannes

nes Baptiſta intelligit: & in hunc modum locum iſtum interpretantur, Baſilius Chryſoſtomus, Auguſt. Gregorius, alijque quàplurimi catholicæ Eccleſiæ proceres. ſed quid interpretatione hic opus eſt, cũ catholica Eccleſia ſemper ab ipſo natiuitatis ſuæ initio uſq; ad noſtra tempora (quẽadmodum in libello de antiquis pœnitentijs ſtatim oſtendemus) pœnitentias huiuſmodi, et ſatisfactiones in uſu habuerit? & ſi exemplis perſuaderi aliquid poteſt (poteſt autẽ quàplurimũ) pone tibi ante oculos ueteres omnes, quotquot Chriſtum fide & pietate ſecuti ſunt, nullum prorſus ex ijs inuenies, qui ſe uigilijs, ieiunijs, eleemoſynis, & ceteris ſanctæ operibus diſciplinæ, ex quibus ſatisfactio ipſa conſtat, quàm maxime non addixerit, & mancipauerit. Non eſt igitur cur tibi in ſola tantũ fide blandiaris, & ad reijciendam crucem, & retundendas pœnitentias, eius ſcuto utaris: cum fidei uſus ad extrudendam incredulitatem, & ad extinguenda, ut inquit apoſtolus, omnia tela nequiſſimi ignita, nobis a Deo conceſſus ſit, non ad impugnandam Eccleſiam, & ad euertenda illius decreta, aut nos a ſeruitute iuſtitiæ uendicandos. quoniam quamuis in libertatem a Chriſto uocati ſimus, libertas tamen hæc non eſt aut male agendi, aut potius nihil agendi libertas, (illa enim ſathanica libertas eſt, non chriſtiana) ſed eſt libertas a peccato, & morte, quoniam a peccato, & morte per Chriſtum liberati ſumus: ab his tamen ſoluti ſerui illius, qui nos ſoluit, effecti ſumus, ut non

Baſil. in Ethicis & in regulis contractioribus q. 287.
Chryſ. ad popul Antiouchiæ homil. 41. & 80.
Auguſt. de ciuit. Dei lib 21 c.66.
Greg. homi. 20
Eph. 6.

ſecundum peccatum, ſed ſecundum iuſtitiam, & caritatem uiuamus. non enim tam ſancta hæc, & diuina libertas in occaſionem carnis, aut malitiæ et pigritiæ anſam danda a nobis eſt. quæ ſententia clariſſimis et eruditiſſimis uerbis multis in locis ab apo

Gal.5. *ſtolo Paulo explicatur, ait enim: Vos in libertatem uocati eſtis fratres, tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per caritatem ſpiritus ſer-*

Rom.6. *uite inuicem. et alibi: Liberati autem a peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ. & poſt pauca: Nunc autem liberati a peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum ueſtrum in ſatisfactionem, finem uero ui-*

Rom.7. *tam æterná. et rurſum: Nunc autem ſoluti ſumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut ſeruiamus in nouitate ſpiritus, non in uetuſtate litteræ. Audis ne quòd mutata ſeruitus ſit, non abolita? hoc eſt, quòd ubi peccati, & æternæ mortis mancipia eramus, Dei, iuſtitiæ, ſpiritus, & caritatis ſerui effecti ſumus. tu igitur qui te ab Eccleſiæ iugo excuſſum per hanc libertatem exiſtimas, pauliſper conſidera, quòd ita ſentiendo rurſum in peccati ſeruitutem relaberis. dum te enim a iuſtitia liberas, peccati ſeruus efficeris, quoniam qui iuſtitiæ liber eſt, pec-*

Rom.6. *cati ſeruus ab apoſtolo dicitur. ait enim. Cum ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. Petrus apoſtolorum princeps, fideles admonet, ut regibus, et principibus (quamuis illi infideles tunc eſſent) ſubiecti ſint, & ſe ab eorum iugo in his, in quibus Chriſtiana religio non deſeritur, libertatis Chriſtianæ*

præ-

textu excuſſos nequaquam exiſtiment. & ut te a catholicæ Eccleſiæ diſciplina, & ab obedientia Paſtorum ſpiritualium ſubtrahas, Chriſtianæ libertatis nomen mihi obtendes? ingens profecto demẽtia, & diabolica perſuaſio hæc eſt. Subiecti, inquit Petrus, eſtote omni humanæ creaturæ propter Dominum, ſiue regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis, ad uindictam malefactorum, laudem uero bonorum: quia ſic eſt uoluntas Dei, ut benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: quaſi liberi, et non quaſi uelamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſerui Dei. Paulus eodem ſpiritu, fideles Romanos multis admonet, ne Chriſtianam libertatẽ aduerſus ſublimiores poteſtates, ad excutiendũ ſeſe a iugo terrenarum præſtationũ obtendant, quia non eſt poteſtas, niſi a Deo. et propterea qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtere ait. et ne illi arbitrarentur præcepiſſe apoſtolum hæc, iræ, et ſupplicij tantum timore, quo affici, uti debiliores, a præpollentibus eo tempore Romanis principibus, Chriſtiani, qui ſub eorũ degebant imperio, poterant, ſtatim adiungit: Ideoq; que neceſſitati ſubditi eſtote, nõ ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. ideo enim & tributa præſtatis. miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes. reddite ergo omnibus debita; cui tributũ, tributum; cui uectigal, uectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem: & tu te ab Eccleſia, quæ te in Chriſto progenuit, per libertatem, quam

1 Pet. 3.

Rom. 13.

quæ fidem comitantur, aut ſequuntur. hoc autem uſitatiſſimũ eſt apoſtolo aſſeuerare in omnibus fere, quas ſcribit, epiſtolis, præſertim uero in ijs, quæ ſunt ad Romanos, ad Galatas, & Epheſios: perſuadere autem ille cunctis uolebat, nos immeritos ad gratiam uocatos eſſe, eo ſcilicet tempore, quo Deo inimici, & rebelles eramus: et ita non ex operibus iuſtitiæ, ſed ex immenſa illius bonitate, et miſericordia fidem, ex qua filij Dei effecti ſumus, aſſecutos fuiſſe. erant enim gentiles ante uocationem hanc (ut late ille ad Epheſios proſequitur) ſine Deo in hoc mundo & ſine Chriſto, nullam Moſaycæ legis promiſſionem habentes, alienati a conuerſatione Iſrael, & hoſpites teſtamentorum: qui cum ex rebus iſtis uiſibilibus Deum conditorem omnium agnouiſſent, tamen non ſicut Deum glorificabant, ſed ſecundum cogitationes ſuas euaneſcentes, ex creatis rebus uarios ſibi Deos conſtituebant, pleni interea omni immunditia, & cunctis ſcelerum generibus contaminati. id ipſum quoque Iudæis eueniebat, quoniam et ſi legem a Deo per manum Moyſi receperant, illam tamen minime obſeruabant: præter quod per legem nullam ſibi iuſtitiam uindicare, uti per legem ſolam poterant: quia iuſtitia omnis quæ promittebatur et adimplebatur in lege, a fide, quæ legem in Abraham præceſſerat, originem ducebat, non ex præceptis a Moyſe poſtea latis: quippe cum per legem cognitio daretur peccati: & tanquam per pædagogum pueri eo tempore Hebræi ad Chriſtum, futurum Sal

Aug. Sixto epi. 105.
Rom. 5.
Ephe. 2.
Rom. 1.
Rom. 3.
Araus. 2. ſyn c. 16. & 21. & Auguſtinus Bonifacio epiſt. 106. & Optato epiſt. 157. in principio. & Hilario epiſt. 89.
Rom. 3.
Gal. 3.

uatorem, pro abolitione cogniti peccati per eam de ducerentur. Latam igitur, ait apoſtolus, fuiſſe legem, non ad euacuandam promiſsionem, & teſtamentum Abrahæ factum ullo modo rumpendum, ſed potius ad confirmãdum, & ad continendum ſub obedientia populum uſque quo Saluator omniũ Chriſtus ueniret, de quo Abrahæ facta repromiſſio fuerat. adeo autem apoſtolus opera, quæ fide carent, a iuſtitia, & æternæ beatitudinis merito reijcit, ut nec ipſum Abraham ex operibus ante fidem peractis, eo uidelicet tempore, quo Chriſti cognitio illi nondum illuxerat, iuſtificatum fuiſſe contẽdat. Verum quòd ex operibus fidei iuſtificatus idem ſit, offerendo filium ſuum ſuper altare, Iacobus apoſtolus manifeſte teſtatur. & ita ubi Paulus opera in Abraham reijcit ante fidem, Iacobus poſt fidem admittit, et prædicat. Cauſabatur igitur Paulus tam Iudæos quàm Græcos, omnes ſub peccato fuiſſe, & eo tẽpore reconciliatos fuiſſe Deo per mortẽ filij ſui, quo rebelles illi erant, & inimici: & ita ſine pœnitentia fuiſſe dona, & uocationem Dei aſſeuerat: quia uocati ſumus ad fidem, & ad iuſtitiam, quæ ex fide caritate plena enaſcitur, per meram ipſius gratiam, non per aliqua condigna opera, quæ ante fidem, & uocationem egerimus. Et in eundem ſenſum donatam gratiam, & iuſtitiam nobis affirmat exhibitam: quemadmodum in eandem ſententiam a Chriſto quoque dictum eſt: Non uos me elegiſtis, ſed ego elegi uos. Sed contra te qui in ſola fide

Aug. Innocentio Papæ, epiſt. 115.

Rom. 4.

Iac. 2.

Rom. 3.

Aug. Bonifacio, epiſt. 106. & Vitali. epi. 107. & Sixto, epiſt. 105.

Ioan. 15.

de, & uocatione requieſcis, ſtatim addidit: Vt eatis, & fructum afferatis, & fructus ueſter maneat. Similia iſtis dixit Paulus apoſtolus, cũ ait; electos nos fuiſſe in Chriſto ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in caritate. Audis ne quòd ideo electi ſuſumus, ut ſancte, & ſine macula coram Deo, & pleni caritatis operibus coram proximis noſtris in mundo uiuamus? eſt ne aliud hoc ab eo quod nõ multo poſtea ſubdidit? Gratia, inquiens, eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex uobis: Dei enim donũ eſt, non ex operibus, ut ne quis glorietur: ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, ut in illis ambulemus. Opera igitur bona a Chriſto enata aſſeuerat, & ea quæ ante fidem fuerunt, a iuſtitia excludit. et ut facilius perciperetur gentilitatis opera ab eo excluſa fuiſſe, illico adiungit: Memores eſtote quòd aliquando uos eratis gentes, &c. At poſt fidem expoſtulat a nobis opera, aſſerens illa a Deo præparata fuiſſe, ut in illis ambulemus. et mox poſtquam dixit, nos ædificatos fuiſſe ſuper fundamentum apoſtolorum, & prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, ſtatim addidit: In quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Dominò. hoc autem fecit ut cognoſceres, quòd ſicut fundamentum fidei, ita etiam ædificium operum, quod excreſcat, nobis neceſſarium eſt. quod etiam in epiſtola ad Corinthios docuit, cum dixit; ſe ut ſa

Eph. 1.

Eph. 2.

1 Cor. 3.

ſunt omnia noua. fingimur ergo, ideſt formamur, & creamur in operibus bonis, quæ non præparauimus nos, ſed præparauit Deus, ut in illis ambulemus. itaque cariſſimi uita noſtra bona nihil aliud eſt quàm Dei gratia, ſine dubio & uita æterna, quæ bonæ uitæ redditur, Dei gratia eſt. & ipſa enim gratis datur, quia gratis data eſt illa cui datur, ſed illa cui datur tantummodo gratia eſt, hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium eius eſt, gratia eſt pro gratia, tanquam merces pro iuſtitia, ut uerum ſit, quoniam uerum eſt, quoniam reddet unicuique Deus ſecundum opera eius. & diuus Bernardus: Nolo meritum quod gratiã excludit: horreo quidquid meum eſt, ut ſim meus: niſi quòd illud magis forſitan meum eſt, quod meum facit. gratia reddit me mihi iuſtificatum gratis, et ſic liberatum a ſeruitute peccati. et ex decreto apoſtolicæ ſedis Arauſicenſis ſecunda ſynodus: Debetur merces, inquit, bonis operibus, ſi fiant, ſed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant. Nunc cum oſtenſum a nobis ſit, recte ab Eccleſia pænitentias, ſeu ſatisfactiones indici, ſciendum eſt quod publica de publicis & uulgatis peccatis peragebatur pænitentia, de occultis uero non ita. unde Aurelianenſis ſynodus, Nam ſi quis, ait, publicam rapinam, ſeu furtum fecerit, publicam inde agat pænitentiam, iuxta ſanctorum canonum ſanctiones. Si uero occulte ſacerdotum conſilio pæniteat: quoniam raptores (ut apoſtolus ait) niſi inde ueram

Rom. 2.

Bernardus ſuper cãtica ſer. 67.

Arauſi. 2. ſyn. c. 18.

Aurelianen. ſyn. c. 8. citatur a Burchardo lib. 11. c. 57

1. Cor. 6.

ege-

egerint pœnitentiam, regnum Dei non poſſidebunt. qui uero de rebus eccleſiarum aliquid abſtulerit, grauius iudicetur: quia quamuis ultio furum, & raptorum ad comites reſpiciat, pœnitentia tamen ad epiſcopos pertinet. Imponebatur autem pœnitentia arbitrio epiſcopi, uel ſacerdotis. Vnde Carthaginienſis tertia ſynodus, Vt pœnitentibus, ait, ſecundum peccatorum differentiam epiſcopi arbitrio, pœnitentiæ tempora decernantur. Et Innocentius primus, Ceterum, inquit, de pondere æſtimando delictorum, ſacerdotis eſt iudicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus, atque lacrymas corrigentis, ac tum iubere dimitti, cum uiderit congruam ſatisfactionem. Verum propter imperitiam aliquorum ſacerdotũ, quid cuiq; peccato congruum pro ſatisfactione eſſet, ſtatutum poſtea fuit. Omnibus his actis, ait Rhemenſis ſynodus, uentilata eſt ratio pœnitentiæ, ut ſacerdotes certius intelligerent, quo modo confeſſiones reciperet, et pœnitentiam ſecundum canonicam inſtitutionem pœnitentibus deberet indicare. et Moguntina, Modus tempusque pœnitentiæ peccata ſua confitentibus, aut per antiquorum canonum inſtitutionem, aut per ſanctarum ſcripturarum auctoritatem, aut per eccleſiaſticam conſuetudinem probatam imponi debet a ſacerdotibus. nam qui peccatis grauibus, leues quoſdam & inuſitatos imponunt pœnitentiæ modos, conſuunt puluillos ſecundum propheticum ſermonem, ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia

Carthag. 3. ſyn. c. 31.

Innocent. epi. c. 7.

Rhemen. Syn. c. 12.

Mogũtina ſyn. c. 10. Burchardo lib. 19 c. 28.

Ezech. 13

uicalia ſub capite uniuerſæ ætatis ad capiendas animas. Per idem tempus Dagoberti, ait Beda, Theodorus archiepiſcopus, & abbas Adrianus doctiſſimus, a Vitelliano Papa miſſi ſunt in Britãniam, plurimasque eccleſias Anglorum doctrinæ eccleſiaſticæ fruge fecundarunt. e quibus Theodorus archiepiſcopus peccantium iudicia, quantis ſcilicet annis pro unoquoque peccato quis pænitere debeat, mirabili, & diſcreta ratione deſcribit. Poſt Theodorum ipſe etiam Beda alterum pænitentialem, ut uocant, librum Theodori conſcripſit exemplo. is qui Romanus dicitur, & qui integer penes Burchardum Vormatienſem inuenitur, quem habuerit conditorem, nõ proditur: conſtat tantum Romæ in uſu fuiſſe. ſimili aliquo libro Beati forſitan presbyteri, aut Rabani, qui pænitentiales canones ipſi etiam conſcripſerunt, uſos Gallos fuiſſe, patet ex legibus, quas Pipinus, Carolus Magnus, Ludouicus, & Lotharius Imperatores, pro inuulgatione, et executione synodalium decretorum, eorum tempore promulgatorum, (ut Anſegiſus abbas Leobienſis collegit) ſanciuerunt. Noſtra autem ætate arbitrariæ pænitentiæ, ſeu ſatisfactiones ſunt, idque introductum eſt a synodo generali Romæ ſub Innocentio tertio celebrata. At ſi quis præfixas ſibi pænitentias adimplere non potuiſſet, hoc modo ſe ab earum onere, auctore Thedoro Cantuarienſi archiepiſcopo, redimebat. ait enim ille: Item qui ieiunare non poteſt, & obſeruare quod in pænitentiali ſcriptum

Beda in [illegible] Anglicana [illegible]

C. oĩs utriuſq; ſexus de pæn.

Theodorus in pænitentiali citatur a Burchardo lib. 19. c. 21.

tenebras. luce enim clarius ex libello illo noſtro cunꝫti edifcent, à Chriſti, & apoſtolorum doctrina, per orthodoxos omnium ſæculorum patres accepta, atque expoſita, purgatorium ipſum probari: ibique non ſolum per incruentum Chriſti ſacrificium, in ara ab Eccleſia quotidie oblatum, uerum etiam per eleemosynas, ieiunia, orationes, peregrinationes, indulgentias, aliaque pia uiuentium opera, fideles, qui in eo ſunt, adiuuari: uerumque eſſe, quod ex Chriſti de peccato in Spiritum ſanctum ſermone eruitur, etiam in altero ſæculo, quorundam peccatorum, leuium ſcilicet, uel initio, uel pænitentia ita factorum, eſſe remiſſionem: et quòd huic ueritati par altera in libris Machabæorum *ab Auguſtino etiam citata inuenitur, qua dicitur, ſanctam, et ſalubrem eſſe cogitationem, pro defunctis exorare, ut a peccatis ſoluantur: et quod uerę (ut idem Auguſt. Gregorius, omniſq; ferme antiquitas interpretatur) ad aſtruendum hunc emundatorium ignem, Paulus ad Corinthios teſtatur, diem Domini in igne reuelandum, cuiuſcunq; opus, quale ſit, per ignē eſſe probandū, eumque, cuius arſerit opus, quod ex lignis ſcilicet, feno, & ſtipula conſtructum ſit, (quo opere leuia peccata, a fundamenti gratia non recedentia, intelliguntur) detrimentum quidem pati, uerum ſaluum ipſum futurum, ſic tamen quaſi per ignem. Satis itaque omnibus nunc ſit colligi clare ex hoc ſatisfactionis opere poſſe, quòd cum ſatisfactio pænitēti neceſſaria ſit, neceſſe etiam eſſe, ut uel*

Tertull. in lib. de corona milit. Chryſo.ho. 69 Diony. Areop. de eccl. hierar. c. ultimo. Aug. Aurelio epiſt. 74. & 9. conf. Hierony ſuper eccleſiaſten.

Matth. 12.

Aug. in lib. de agēda cura pro mortuis.

2. Mach. 12. Auguſt. ſuper Pſal. 37. Gregor. lib. 4. dialog. Syn. Florentina. 1 Cor. 3.

ut uel hic, uel in altero ſæculo expleatur, rationiq; congruum eſſe, Auguſtino teſte, ut ſicut boni ea non indigent, nec malis, damnatisque prodeſſe illa poteſt, ita etiam mediocriter malis, aut mediocriter bonis proficua, ac neceſſaria ſit; præſertim cum ſcriptum inueniamus, nihil coinquinatũ, quod ſcilicet non antea uel hic, uel in alio ſæculo emundetur, in cæleſtem patriam intraturum; et quòd de omni otioſo uerbo, cui perpetua inferni pœna haudquaquam debetur, reddituri ſint homines rationem in die iudicij.

Aug. in enchiridio.

Apoc. 21.

Matth. 12.

DE ANTIQVIS PAENITENTIIS DISERTISSIMA HISTORIA,

ex ueteribus ſanctis synodis, et orthodoxis patribus, ſummo ſtudio, & diligentia compoſita.

Synodi, et auctores, ex quibus hæc de antiquis pænitentiis collecta hiſtoria eſt.

Africana ſynodus
Agathenſis Syn.
AmbroſiusMediola nenſis epiſcopus.
Antiochena Syn.
Arelatenſis Syn. 1.
Arelatenſis ſecũda.
Auguſtinus Hipponenſis epiſcopus.
Aurelianẽſis 1. Syn.
Aurelian. ſecunda.
Aurelian. tertia.
Aurelian. quinta.
Baſilius Magnus.
Beda Britannus.
Burchardus Vormatienſis.
Cabilonenſis Syn.
Carpentoractenſis Syn.
Carthaginienſis 2.
Carthaginienſis 3.
Carthaginienſis 4.
Celeſtinus Papa.
Damaſus Papa.
Diony. Areopagyta

DE ANTIQVIS PAENITENTIIS HISTORIA.

PAENITENTIA, de qua, partitionibus ſuis ſeruatis, ſcripturi ſumus, uulgata hic nuncupatione accipiendo, nihil aliud eſt, niſi temporaria quædam pœna peccatis poſt confeſſionem debita, et ab Eccleſiæ miniſtris in ſatisfactionẽ peccatoribus impoſita. [a] Auguſtinus in hanc ſententiam humilium bonorumque fidelium pœnam appellat. eſt autem pænitentiæ duplex genus; publica, quæ interdum ſollemnis erat, et priuata. Publica dicitur illa, quæ publice coram fidelium cœtu peccatori, cuius peccatum uulgatũ eſt, imponitur. hæc autem, ſi adhibitis ſollemnitatibus, de quibus ſtatim dicetur, imponatur, ſollemnis etiam appellatur. Priuata uero dicitur illa, quæ pro ſecretis, et non propalatis criminibus indicitur. Et licet omnis impoſitio manus in remiſſione cuiuscunque peccati adhibita, publica regulariter ſit, non tamen omnis pænitentia publica propterea uocari poteſt: quoniã non manus impoſitio, ſed peccati publici, aut ſecreti differentia, unam ab altera ſegregat, & diſiungit. [b] Sollemnis pænitentia ſemel tantũ in uita concedebatur, in quem ſenſum ita ſcribitur ab [c] Auguſtino. Quamuis ergo caute, ſalubriterque prouiſum ſit, ut locus illius humillimæ pænitentiæ ſemel

a Aug. c. tres aũt de pænit. diſt. 1.

b Lib. 4. ſent. diſt. 14. & de pæn. diſt. 3. c. nihil.

c Aug. Macedonico epi. 54.

mel in Eccleſia concedatur, ne medicina uilis minus eſſet utilis ægrotis, quæ tanto magis ſalubris eſt, quanto minus contemptibilis fuerit, quis tamen audeat dicere Deo, quare huic homini, qui poſt primá pænitentiam rurſus ſe laqueis iniquitatis obſtringit, adhuc iterum parcis? at priuata, non ita, ſed ſolo epiſcopi, aut ſacerdotis arbitrio ſine ſollemnitate aliqua, toties, quoties opus erat,[d] *imponebatur. imponebatur autem,*[e] *Auguſtino auctore, ijs, qui poſt baptiſmi lauacrum ita peccauerant, ut pro perpetrato peccato excõmunicari mererentur. De ſollemni publica pænitentia, poſt*[f] *Dionyſium Areopagitam, &*[g] *Origenem, multa beatus*[h] *Ambroſius cõmentatus eſt. Et de publica ſcribens Sozomenus, ita ait. Quoniam omnino non peccare, diuinum, & ultra humanam naturam eſſe cognoſcitur, peccantibus autem, et pænitentiam agentibus ueniam Deus dari præcepit: qui uero confiteri refugiunt, maius peccatorũ onus acquirunt: propterea uiſum eſt antiquis Pontificibus, ut uelut in theatro, ſub teſtimonio eccleſiaſtici populi delicta pádantur, & ad hanc rem presbyterum bonæ conuerſationis, ſeruantemque ſecretum, ac ſapientem uirum ſtatuerunt, ad quem accedentes ii qui deliquerant, delicta propria fatebantur: at ille ſecundum uniuscuiusque culpam indicebat, & multam: quod etiam hactenus diligenter in occidentalibus ſeruatur eccleſiis, & maxime apud Romam, ubi etiam certus eſt locus pænitentium. ſtant enim rei, & uelut in lamenta-*

d De pænit. diſt. 3. c. ſepties cum ſeq. & lib. 4. ſent. diſt. 14.
e Aug. Seleucianæ epiſt. 108.
f Dionyſius de cæleſti hierar. c. 3.
g Orig. ſuper Leuiticũ c. 15.
h Amb. de pænit. lib. 2. c. 10.
i Sozemenus hiſt. trip. lib. 9. c. 35.

mentationibus conſtituti: cum enim ſacra celebratio fuerit adimpleta, illi communionem non percipientes, cum gemitu, & lamētatione ſe ipſos in terram proſternunt. ad quos concurrens epiſcopus, & ipſe cum lacrymis, & gemitu ſpirituali proſternitur, & omnis eccleſiæ plebs fletibus inundatur: poſt hæc autem prior ſurgit epiſcopus, & eleuat iacentes e terra: tum competenter pro pænitentibus facta oratione, dimittit omnes. at illi afflictionibus ſponte uacantes, aut ieiunijs, aut abſtinentia lauacri, aut ſuſpenſione ciborum, aut rebus alijs, quæ iubentur, expectant commune tempus, quod decernit epiſcopus. conſtituto uero tempore, uelut quoddam debitum exoluentes, afflictione de peccato curati, cum populo communione participantur. Sollemnitas autem, qua ueteres in pænitentia publica ſollemni indicenda utebantur, hæc erat.[K] *Die primo quadrageſimæ pænitentiam accepturi, ſacco cilicioque induti, nudis pedibus uultuque in terram demiſſo, pro foribus eccleſiæ coram epiſcopo ſe proſternebant, parochis, et archipresbyteris, eoque ſub cuius parochia pænitens erat, præſentibus, quorum arbitrio, lacrymis, conuerſationeque pænitentis perpenſis, pænitētia imponebatur. mox illis in eccleſiam introductis, epiſcopus una cum clericis in terram proſtratus, pænitentiæ pſalmos pro eorum abſolutione cantabat. poſtea ab orando ſurgens, manuque illis impoſita, aquam benedictam ſuper eos ſpargebat: & iniecto prius cinere, cilicio*

K Diſt. 50. in capite.

eorum capita operiebat: crebriſque ſuſpirijs, & luctibus denunciabat eis, quòd ſicut Adam propter peccatum eiectus fuit e paradiſo, ita ipſi ab Eccleſia pro ſuis criminibus proijcerentur. iubebat deinde miniſtris, ut eos e tẽplo expellerent: quod dum fieret, clerus cantato hoc uerſu, In ſudore uultus tui ueſceris pane tuo, eos proijciebat. hoc autem facto, ita a liminibus Eccleſiæ illi extorres erant, ut niſi in ſacra Domini cœna (& tunc ab eorum decanis, & presbyteris ducti) ea attingere non poſſent. [l] *Theodoſium Auguſtum inſtante diuo Ambroſio Mediolanenſi epiſcopo, & ante eum* [m] *Philippum, primum ex Imperatoribus Romanis Chriſtianum, & beati Hieronymi temporibus* [n] *Fabiolam matronam publice pœnituiſſe memoriæ proditur.* [o] *Leo primus publicam pœnitentiam clericis ex traditione Apoſtolica imponi uetitũ eſſe ſcribit:* [p] *ſicut contra, ex publicis pœnitentibus neminem ad aliquem clericatus ordinẽ, niſi in magna neceſſitate, et tunc in minorem tantum, admitti poſſe lege cauetur.* [q] *Synodus Arelatenſis aſſerit eam coniugatis quoque, niſi ex amborum conſenſu, imponi conſuetum minime fuiſſe:* [a] *Et ſi quis imparem ſe eam tunc tolerandi ſenſiſſet, in aliud quoddam commodius pœnitenti tempus differebatur.* [b] *Imponebatur autem, diuo Auguſtino teſte, publica pœnitentia epiſcopi arbitrio, ijs qui publico ſcelere eccleſiam offendiſſent, ut ſi quis publice gentium Dijs, quod Marcellinus egit, ſacrificaſſet. in quam ſententiã ita ſcribit*

l Hiſt. trip. lib.2.c.13.

m Euſeb. Cæſarien. hiſt. Eccl. lib. 6. c. 25.

n Hieron. in epitaphio Fabiolæ.

o Leo ad Ruſti cũ Narbonen. epiſt.90.c.2. & diſt.50.c. confirmandũ cum ſeq.

p Diſt. 50. c. quicunq; cum quinque ſeq.& c. illud quoq; cũ tribus ſeq.

q Arelaten. 1. ſyn.c.21.

a Aug.de eccl. dogmatibus c. 53.

b Aug.homil. 50.

bit [c] *Leo Papa. Qui conuiuio ſolo gentilium, & eſcis immolatitijs uſi ſunt. poſſunt ieiunijs et manus impoſitione purgari, ut deinceps ab idolothitis abſtinentes, ſacramentorum Chriſti poſſint eſſe participes: ſi autem aut idola adorauere, aut homicidijs, & fornicationibus contaminati ſunt, ad communionem eos niſi per pœnitẽtiam publicam non oportet admitti.* [d] *ſi quis autem peracta publica pœnitentia, in ſimile aliquod crimen, de quo illam egerat, recidiſſet, (quia iterari pro eodem non poterat ſcelere) a ſacra communione percipienda uſque ad obitum, licet ſacris intereſſe interea poſſet, prohibebatur. Quæ autem pœna ijs qui eam deſeruiſſent, infligeretur,* [e] *Venetica synodo in hæc uerba oſtenditur. Pœnitentes quoque qui ſuſceptam publice pœnitentiam intermiſerint, & ad prioris erroris conſuetudinem reuoluti, uitæ ſeculari conuerſationique reddiderint, non ſolum a communione dominicorum ſacramentorum, ſed etiam a conuiuijs fidelium ſubmouendos.* [f] *Similia a Gratiano, & ab Aurelianenſi prima ſcribuntur synodo. Impleto autem pœnitentiæ tẽpore, tam ij qui publice, quàm etiam qui priuate pœnituerant, reconciliari non ſolebant, præterquam in quinta feria ante Paſcha, quæ cæna Domini appellatur, niſi aliud ægritudinis cauſa ſtatueretur. eo igitur die inter ſacrorũ ſollemnia, per epiſcopum manu illis publice impoſita, omnes, quod aſſerit* [g] *Innocentius, reconciliabantur, & ad percipienda dominica ſacramenta, idonei per*

c Leo p. ad Ruſticum Narbonen. epiſt. 90. c. 17.

d Siricius Papa c. 5. & Innocẽtius p. c. 11.

e Veneticaſyn. c. 3.

f De pœn. diſt. 5. c. alias qui Aurelianen. 1. ſyn. c. 13.

g Innocent. 1. Decẽtio Eugubino epiſcopo c. 7. & de conſecr. diſt. 3. c. de pœnitẽtibus

abſolutionem reddebantur. publice enim peccanti, publice quoque manum imponi ſolitam eſſe, & a presbytero inconſulto, aut abſente epiſcopo pœnitentem, niſi magna in neceſſitate reconciliari non debere,[h] *Africanis ſynodis egregie explicatur. in quem ſenſum ita ſcribit*[i] *Carthaginienſe concilium tertium. Presbiter inconſulto epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſente epiſcopo, & neceſſitate cogente. & cuiuſcunque pœnitentis publicũ, & uulgatiſsimum crimen eſt, quod uniuerſam eccleſiam commouerit, ante abſidem manus ei imponatur.*[k] *Auguſtinus edito loco abſides poſitas interpretatur, nam gradatas alicubi eas appellat. Munus autem reconciliandi pœnitentes ſicut non erat presbyteri, niſi eo quo diximus modo, ita quoq; ad chorepiſcopum non pertinuiſſe, ter magnus cognomento*[l] *Leo teſtatur. Vt autem latius hanc pœnitentiæ materiam explicemus, in aliquot eam capita partiemur. tractabimus enim primo de perſonis, iis ſcilicet, quæ aut accipiunt pœnitentiam, aut imponunt: item de illis quæ pœnitentes reconciliant, et quæ pœnitentibus inſeruiunt: mox deueniemus ad tempus, quo ſingulis ſcilicet peccatorum generibus pœnitentiæ imponebantur, et ad eius remiſſionem: deinde tractabimus de loco pœnitentiæ peragendæ, item de ueſtibus pœnitentium, poſtea de ſeueritate priſcarum pœnitentiarum. ad hæc de ritu qui in eis ſeruabatur, poſtremo de earum remiſſione, & pœnitentium reconciliatione.*

h Africana ſyno.c.10.

i Carthag. 3. ſyn.c.32. & 16 q.6.c. presbyter inconſulto

K Aug. epiſt. 203.

l Leo primus epiſt.86.

Vt

Vt autem a primo capite exordiamur, ſciendum eſt, perſonarum reſpectum in pœnitentijs imponendis ita habitum fuiſſe, ut pueris, quia hæc ætas non conſilio, ſed ſola tẽporis lubricitate peccare ſolet,[m] *nulla indiceretur pœnitentia,*[n] *niſi quòd ſub manus impoſitione aliquo interdum tempore detinebantur. ſeruatum etiam Romæ*[o] *Silueſtri temporibus legimus, pœnitentiam petenti concedi ſolitam non fuiſſe, niſi is qui peteret quadraginta fuiſſet annorum. in his quoque qui ætate maiores, & rationis compotes erant, quædam ſeruabatur diuerſitas, quippe cum alia catechumenorum delictis, alia clericorum, alia laicorum fidelium ſceleribus pœnitẽtia imponeretur, præter quod illa*[p] *horum omnium, ætate, dignitate, peccatorumque uariabat diuerſitate, ut ex canonibus Gregorij Neocæſarienſis archiepiſcopi, & ijs qui a Petro Martyre Alexandrino de pœnitentia conſcripti ſunt, manifeſto apparet.*[q] *Catechumeni igitur, qui ad orandum in eccleſiam admittebantur, ſi forte aliquod in crimen prolaberentur, ab oratione reiecti, tribus annis inter audientes tantum catechumenos aſcribebantur: quo tempore peracto, orationi una cum alijs catechumenis primo reſtituebantur, deinde illis pœnitentibus, quibus manus imponebatur, annumerabantur: at ſi dum inter audientes tantum eſſent, catechumeni rurſum peccaſſent, omnino ab eccleſia expellebantur.*[a] *qualitas enim criminis eos a baptiſmo citius uel tardius percipiendo impediebat. Clerici uero pec-*

m Elibertina syn.c.22.
n Felix tertius epiſt.1.c.4.
o Syn. Romana ſub Silueſtro, c.12.
p Felix III. epi.1.c.1.
q Nicena syn. c.13. Felix 3. epiſt. 1.c.4. Neocæſar.syn. c.5.
a Elibertina syn.c.73.

cantes aut ab officij ſui miniſterio tantum, aut a laica etiam communione, hoc eſt ab ea quam laici percipere ſolent, ad tempus, aut ad extremum uitæ deijciebantur: interdum ſolo ieiunio crimen eluebant, interdum etiam deponebantur. quamuis non ſolum tempore, ſed etiam locorum uarietate, hoc uarijs ſeruatum fuiſſe modis, [b] Epaonenſis synodus, quæ omnem clericum letali prolapſum crimine, ab officio deponit, & in monaſterium uſq; ad obitum inclu dit, dilucide oſtendit. [c] Depoſiti uero clerici, ſi a peccatis abſtinerent, & ſanctis operam nauarent operibus, poſt decennij pænitentiam, quæ ieiunijs, & orationibus, modo quodam a Gangrenſi concilio præſcripto, peragebatur, ad ordinem reſtituebantur. omnis enim ordinis depoſitio decennali pænitentia [d] niſi aliter cautum fuiſſet, redimebatur. [e] deijci autem, deponique clerici non poterant niſi quisque a ſuo ſuperiori. [f] Deponebantur uero clerici etiam ob ea crimina, quæ ante ſuſceptum ordinem perpetrarant, ſi ea in ordinatione tacuiſſent. [g] Et ſi ad aliquod tempus depoſiti, ad crimen poſtea reuerſi fuiſſent, nō ſolum a gradus ſui miniſterio, uerum etiam a ſacra communione uſque ad extremum uitæ diem, deijciebantur. et [h] ſicut nemo ex publicis pænitentibus niſi ingenti aliqua inſtante neceſſitate, clericus fieri poterat: ita ſi ordinatus pænitentiam publicam egiſſet, ad maiorem ordinem aſcendere nequaquam poterat. [i] Hæ uero pænitētiæ publicæ ſicut ceteræ omnes, ſi synodali auctoritate ſtatutæ nō fuiſſent, epi-

ſcopi

b. Epaonē. ſyn. c. 22.

c Diſt. 82. c. presbyter.

d Diſt. 50. c. miror.

e Aurelian. quinta ſyn. c. 3.

f Nicena ſyn. c. 9. 10. Ilerden. ſyn. c. 4. 15.

g Ilerden. ſyn. c. 4. & 15.

h Diſt. 50. c. quicunq; cum capitibus ſequentibus.

i Aureliana quīta ſyn. c. 3. Africana ſyn. c. 5.

ſcopi, ſacerdotúmque arbitrio imponebantur: impoſitæque breuiores, aut longiores, uel leuiores, acrioresque fiebant. Deponebatur autem ab officio clericus [k] *uſurarius,* [l] *uxorem retinens, aut accipiens,* [m] *ſeipſum abſcindens,* [n] *paſcha cum Iudæis celebrans:* [o] *item fornicator, qui non ſolum deponebatur, ſed etiam in laicam communionem reijciebatur,* [p] *ſicut illi qui ab hæreticis reuertebantur.* [q] *Verum ſi presbyter ante ordinationem peccans, delictum poſtea ſuum confeſſus eſſet, ſacrificare, offerreque ulterius non poterat, quamuis alijs in officijs manere poſſet. qua ratione diaconus, cui idem eueniſſet, a miniſterio ſuo prohibebatur.* [a] *ſuſpendebatur autem ab officio clericus, ſcilicet non ſacer, qui uxorem adulteram retinebat:* [b] *Et epiſcopus, qui contra patrum ſtatuta aliquem ordinaſſet, a ſacrificij celebratione (* [c] *quod ipſum ob alia quoque crimina fiebat) per aliquod tempus deponebatur. et ſi impoſitam non ſeruaſſet pænitentiam, a communione fidelium ſeparabatur.* [d] *et ſi nimium graue clerici fuiſſet delictum, nō ſolum ab altari reijciebatur, uerum etiam ab oratione catechumenorum interea ſeparatus, laicam tantum communionem percipere poterat uel ad tempus, uel in extremo tantū ipſius uitæ die. Has autem omnes pænitentias loco, ac* [e] *tempore uariatas fuiſſe clariſſimum eſt, propterea quòd synodus* [f] *Aurelianenſis adulterū clericum, communione tantum conceſſa, non ſolum ab officio deponit, uerum etiam in monaſterium toto illius*

k Elibert. ſyn. c. 20.
l Neocæſar. ſyn. c. 1. & Elibertina c. 33.
m Nicena ſyn. c. 1.
n Antiochena ſyn. c. 1.
o Neocæſar. ſyn. c. 1.
p Innocent. 1. epiſt. 22. c. 4.
q Neocæſarié. ſyn. c. 9. & 10.
a Neocæſar. ſ. c. 8. & diſt. 34. c. cuius uxorem.
b Aurelian. 3. ſyn. c. 6. Cæſarei epiſt. ex ſyn. carpēt.
c Diſt. 50. ſtudeat. & carpentoracten. ſyn in epi. Cæſarei.
d Felix tertius epiſt. 1. c. 2.
e 30. q. 4. c. ſi pater. Ilerden. ſyn. c. 4.
f Aureliā. tertia ſyn. c. 7.

lius uitæ tempore includit. Temporis autem ratio-
g Romana ſyn. ſub Silueſtro. c.16. *nem haberi ſolitam fuiſſe,* [g] *Romana synodus ſub Silueſtro Papa celebrata, dilucide his uerbis oſtendit. Si quis clericus in curiam introierit, anathema ſuſcipiat, nunquam rediens ad matrem Eccleſiam: communione autem non priuetur propter tempus*
h Diſtin.81.c. miniſtri altaris. *turbidum. In eandem ſententiam* [h] *Lucius Papa, clericum qui poſt ordinationem uxori ſuæ coniungitur, non ſolum ab officio, ſicut a Neocæſarienſi synodo ſtatutum eſt, deponit, uerum etiam omni illi miniſterio interdicit. Interdum autem ſolius ieiunii pænitentia crimē ſuum clerici expiabant, quem-*
i De conſecr. diſt.2.c. qui bene. *admodum in hanc ſententiam ita ſcribit synodus* [i] *Arelatenſis. Qui bene nō cuſtodierit ſacrificium, & mus, uel aliud aliquod animal illud comederit, quadraginta diebus pœniteat: qui autem perdiderit illud in eccleſia, aut pars eius ceciderit, et non in-*
K Neocæſar. syn.c. 9. *uenta fuerit, triginta dies pœniteat.* [k] *Clericus autem ab officio ſuo depoſitus, minora quidem, niſi aliud cautum eſſet, exercere poterat, maiora uero*
l Toletana sy. 1.c.2. *ſumere nullo modo ualebat.* [l] *quapropter quemadmodum presbyter a ſacrificii dumtaxat oblatione, non autem a miniſterio minorum ordinum, ita diaconus ab euangelij, & ſubdiaconus ab apo-*
m Aurelian.1. syn.c.14.& diſtinct. 81.ca. ſi diaconus. *ſtoli lectione deponi ſolebat.* [m] *Baptizare uero, neceſſitate urgente, tam presbyter, quam etiam dia-*
n Aurelian. 1. syn.c.11. & diſtin.81.c.ſi diaconus. *conus pœnitens poterat. Hæ, ut diximus, pœnitentiæ quamuis Pōtificum arbitrio ſtatuerentur, conſtitutum nihilominus a* [n] *ſacris concilijs, quibus*

epi-

epiſcopi parebant, inuenitur, ut pro quolibet mortali crimine clericus ab officio, & communione pelleretur. Cum quis autem ex ipſo peccabat populo, ſecundum peccatorum diuerſitatem expellebatur, aut ab[o] *euchariſtiæ perceptione, inter orantes tantum reiectus (licet is qui ſecrete pænitebat,*[p] *communicare quidem poſſet, ſæculari tamen habitu mutato, & diebus tantum dominicis) aut inter audientes relegabatur, aut, ubi grauius crimen erat, ab ingreſſu eccleſiæ, uel etiam Chriſtianorum cõuiuijs, aut demum ab omni fidelium conſortio ſeparabatur. maiora enim, grauioraque peccata acriori pænitentia eluebantur, & pari paria emundabãtur. hoc autem a Donatiſtis ſeruatum non fuiſſe,*[q] *Optatus Mileuitanus epiſcopus cõquerens, his uerbis teſtatur: Indixiſtis, inquiens, pænitentiã plebibus, nec enim acta eſt ab aliquo, ſed a uobis exacta, nec æqualibus ſpatijs temporum, ſed egiſtis omnia pro perſonis: alter anno toto, alter menſe, alter uix tota die, imperantibus uobis pænitentiam geſſit. ſi unitati conſentire, ut uultis, peccatum eſt, quare non eſt æqualis pro eodem reatu pænitentia?*[a] *Verum ſi quis e populo matrimonio iunctus peccaſſet, absque alterius coniugis conſenſu, ne torus inuito eo qui non peccarat, ſepararetur, pænitentiæ legibus adici non poterat. hoc autem de publica, non de priuata intelligi debere, Colonienſi ſynodo explicatur.*[b] *eodem modo, ſi qua mulier uiro ſuo relicto, alteri nupſiſſet, niſi uno ex eis mortuo, pænitere non poterat*

o Aug. Macedonio epiſt. 54. & de eccl. dogmatibus c. 53.
p Aug. de eccl. dogmatibus c. 63.
q Optatus lib. 2. con. Parmenianum Donatiſtam.
a Arelaten. 2. syn. c. 22. & 33. q. 4. c. pæn. coniugatis. & Aurelianen. 3. sy. c. 24.
b Innocentius primus ad Victricium Rhotomagenſem epi. 2. c. 1. & 27. q. 1 c. quæ Chriſto ſpiritualiter.

rat. quod etiam in uirgine ſacra, aut nupta, aut tantum corrupta, obſeruatum fuiſſe, memoriæ proditum eſt. Imponebat autem pœnitentiam[c] *epiſcopus, quod obſeruatū fuiſſe exemplo Petri Martyris archiepiſcopi Alexādrini diſcere poſſumus: is enim quattuordecim pœnitentiæ canones edidit, pro iis qui perſecutionis tēpore uel a fide exciderunt uel perſecutioni ſe obtulerūt: in ijs autē iuxta peccatorū uarietatē uarie pœnitentias etiā ſtatuit. nō ſolum autē epiſcopus, uerū eius permiſſu presbyter quoque*[d] *pœnitentias imponebat, quē a tempore Decij Imperatoris ſuper pœnitentes conſtitutum fuiſſe*[e] *Socrates in hiſtoria teſtatur. Nicephorus Cartophylax in epiſtola, quam ad Theodoſium monachum ſcribit, tædio negotiorum, & accurrentium populorum frequentia, ab epiſcopis ad monachos audiendarum confeſſionum, & indicendarum pœnitentiarum munus relegatum deinde quoque aſſeuerat. Loquens de epiſcopo*[f] *Carthaginienſis tertia synodus, pœnitentibus, inquit, ſecundum peccatorum differentiam, epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur. & in eandem ferme ſententiam octaua*[g] *ſynodus ita ſcribit. Hoc ſit poſitum in iudicio eorum qui præſunt, quanto tēpore, uel quali modo pœnitere debeant, qui delinquunt: quia ætas ad eruditionem multorū multam haberi facit differentiā pœnæ.*[h] *Is uero qui pœnitētias imponebat, ſiue fuiſſet epiſcopus, ſiue presbyter, eas ex cauſa breuiores, remiſſioresq; aut longiores, grauioresque facere poterat. imponebatur*

c 26.q.7.c. tēpora & c. hoc ſit. Elibert ſyn. c. 32.

d Toletana 3. s.c.12. Beda. Iacobi 5. & de pœnit. diſt. 1. c. quis aliquando §. item in Leuitico, & §. cum ergo.

e Hiſt. trip. lib. 9. c.35.

f Cartag. 3. s. cap. 31. & 26. q.7. c. pœnitētibus ſecūdū et Africana s. c.10.

g 26. q. 7. c. hoc ſit.

h Ilerden. s. c. 1. & 5. & diſtin. 50. c. hi qui altario.

batur autē pœnitētia poſt confeſſionem peccatorum, quemadmodum his uerbis [i] *Cabilonenſis ſynodus teſtatur. De pœnitentia, inquiens, peccatorum, quæ eſt medela animæ, utilem omnibus hominibus eſſe cenſemus: & ut pœnitentibus a ſacerdotibus facta confeſſione indicatur pœnitentia, uniuerſitas ſacerdotum noſcitur conſentire. ſunt qui ſacerdotum nomine hoc in loco epiſcopos intelligant, quam nuncupationem* [k] *alibi quoque uſurpatam fuiſſe compertiſſimum eſt: aiunt autem hoc propterea quòd olim ipſi presbyteri,* [l] *niſi magna in neceſsitate, inconſulto epiſcopo pœnitentiæ leges indicere nequaquā poterant.* [m] *Reconciliare uero pœnitentem ſolus Epiſcopus, qui illam impoſuerat, poterat: presbyteri uero nunquam niſi eius iuſſu, & in magna neceſſitate. qua ratione ſtatutum fuit, ut imminente* [n] *morte quilibet presbyter pœnitentem abſoluere, eique ſacrum uiaticum impartiri poſſent. is igitur remittebat pœnitentiam, qui indixiſſet, ſiue fuiſſet is presbyter, ſiue epiſcopus.* [o] *publice uero reconciliare pœnitentem nec etiam chorepiſcopi poterant.* [p] *non tamen omnis epiſcopus, ſed is tantum qui pœnitentiam impoſuerat, pœnitentem reconciliabat, niſi magna quædam neceſsitas contrarium uoluiſſet, ueluti ſi is qui illam præfixerat, obijſſet, dummodo latam pœnitentiam noſſet. quod ipſum etiam in presbytero obſeruabatur. in quam ſententiam ita ſcribit Felix Papa huius nominis tertius, Quòd ſi utpote mortales intra metas præſcripti temporis cœperit uitæ*

i Cabelonen. ſyn.c.8.

K Ilerden.ſyn. c.1.

Carthag.4. ſy. c.74.

l Carthag. 4. s.cap.76.& 26. q.6.c. is qui in infirmitate.

m Carthag. 3. s.cap.32.& 26. q.6. c. presbyter.

a Africana s. c.10.

b Elibertina s.c.32.

n 26.q.7.c.tēpora.

Felix 3. epiſt. 1 c.3

o Leo 1.ad epiſcopos Germaniæ & Galliæ epiſt.86

p Felix tertius epiſt 1 c.3

Ibidem

finis

finis urgere, ſubueniendum eſt imploranti, & ſeu ab epiſcopo, qui pœnitẽtiam dederit, ſeu ab alio qui qui tamen datam eſſe probauerit, aut ſimiliter a presbytero, uiaticum abeunti de ſæculo non negetur. & [q] *Epaonenſis synodus, Si epiſcopus ante damnati abſolutionem obitu rapiatur, correctum, aut pœnitentem ſucceſſori licebit abſoluere. Erant etiam in eccleſiis presbyteri ab epiſcopo conſtituti, qui per hebdomadas pœnitentibus ſeruiebant: ſicut in templis apoſtolorum Petri, & Pauli, ac beati Laurentij martyris, a* [a] *Simplicio pontifice ordinatum fuiſſe memoriæ proditum eſt. Tempus uero duobus modis conſiderari poteſt, ſcilicet uel in imponendis uel in remittendis pœnitentijs: quando ea quæ quis pœnitentiæ ageret tempore, cum de ritu tractabitur, enarrabimus. nam qua quis ætate uel imponeret, uel acciperet pœnitentiam, ad perſonam ſupra retulimus. pœnitentiæ igitur tempus, ſynodi, ſeu epiſcopi arbitrio decernebatur, ſiue id finitum eſſet, ſiue perpetuum, finitum ut unius, aut plurium annorum, perpetuum ueluti uſque ad mortem. Semel autem conſtitutum tempus, conſtituentium uoluntate, breuius, aut prolixius ex cauſa fieri poterat. quod autem arbitrio eorum qui præerant pœnitentiæ tempora conſtituerentur, præter ea quæ* [b] *Socrates in hiſtoria ſcribit, &* [c] *Elibertinum concilium aſſerit,* [d] *octauæ œcumenicæ synodi decreto dilucide id uerum eſſe probatur. A synodis quoque epiſcoporum tempora pœnitentiæ præfigi ſolita eſſe, in*

q Epaonen. sy. c. 28. & 11. q. 3. c. ſi epiſcopus ante damnati.

a In uita Simplicii primi. Pontificalis hiſtoria.

b Socrates in hiſt. trip. lib. 9. c. 35.

c Eliber. syn. c. 32.

d 26. q. 7. hoc ſit poſitum.

in[e] *actis plurimarum legitur synodorũ. ipſa uero tempora ex ſcelerũ uarietate longa aut breuia erãt: & ut exemplis explicentur quæ dicimus;* [f] *Digamiæ parui admodum temporis pænitentia indicebatur.* [g] *quod ipſum ſeruabatur etiam in eo, qui aut eucharistiam ebrius euomuerat, aut guttas aliquas ſanguinis imprudenter effuderat.* [h] *Duumuiri uero qui dijs ſacrificantium coronam portauerant, per annum ab eccleſia arcebantur.* [i] *Annua autem pænitentia indicebatur ei, qui cum cauſam aliquam cum proximo ſuo haberet, iurabat ſe nullo modo cũ eo reconciliari uelle.* [k] *Item illi qui in carcere ob uirium defectum, fidem negauerat.* [l] *Legimus in hiſtoria synodi Carpentoractenſis Cæſarium epiſcopum a ſacrificii munere per annum Agretiũ epiſcopum remouiſſe cum propter male latam in Protadium ſententiam, tum etiam quia ad concilium uocatus, ut rei a ſe geſtæ in eo rationem redderet, illò accedere noluerit. Duorum uero annorum pænitentia indicitur* [m] *ſacerdotibus, qui coronam dijs ſacrificantium portant:* [n] *falſo teſti, qui diu tacuit, quod poſtea fatendo probauit. Item* [o] *clerico obſidionis tempore a ſanguine nõ abſtinenti. Trium uero annorum* [p] *ei, qui nullis tormentis incitatus, uoluntarie fidem negauit:* [q] *Parentibus, qui ſponſalium fidem frangunt:* [a] *ijs qui ueſtes ad ornandam ſæculariter pompam cõmodant:* [b] *Diacono, qui mortis crimen in ordinatione tacens, ultro illud poſteà detexit. Quinque autem annorum imponitur* [c] *ei, qui*

e Nicena syn. c.11. & 12. sy. Rom. ſub Silueſtro c.12. & 19. Elibert. syno. multis in locis
f Laodicena syno. c.1.
g De conſecr. diſt. 2. c. ſi per negligentiã, & cap. ſi quis per ebrietatem.
h Elibert. syn. c.56.
i Ilerden. syn. c.7.
K Petrus Martyr. canone 2. de pæn.
l Carpetorac. syn. in epiſto. Cæſarii.
m Elibert. sy. c.55.
n Elibert. syn. c.74.
o Ilerden. syn. c.1. & diſt. 50. de his clericis.
p Petrus Martyr can. 3.
q Elibert. syn. c.54.
a Eadem syn. c.75.
b Eadem 76.
c Eadem 5.
d Eadem 69.

qui caſu aliquem occidit. [d] *Itē illi qui uxoris mortuæ ſororem duxit:* [e] *coniungi ſemel tantum lapſo:* [f] *Viduæ quæ lenonē coniugem poſtea accepit.* [g] *Chriſtiano coniugi cum Iudæa, uel gentili peccanti:* [h] *ei qui ſua delatione alicui nocuit.* [i] *Item adulteræ.* [k] *Item parentibus qui Iudæis, uel gentilibus filias matrimonio iungunt:* [l] *ei qui de idolothitis accipit:* [m] *falſo teſti, dum tamen extra mortis cauſam teſtimonium ferat:* [n] *Diacono, qui crimen mortis, quod poſtea per alium detectum eſt, in ordinatione non aperuit. Septem uero annorū pœnitentia indicitur* [o] *homicidæ uoluntario:* [p] *proprios fetus necanti:* [q] *Eccleſiam inuadenti:* [a] *inceſtuoſo:* [b] *coniugis peremptori:* [c] *adultero, & periuro:* [d] *demum pro omni letifero, ac capitali crimine, niſi ipſius peccati grauitas, ac perſonarum qualitas ſeuerioré, longiorisque temporis pœnitentiam requirat; ueluti ſi eſſet non ſolum homicidium, ſed parricidium: coniunctio non naturalis, uerum contra naturam:* [e] *homicidium non a laico factum, ſed uel a diacono, presbytero, aut epiſcopo: uarijs enim perſonis uarias hoc in ſcelere præfixas pœnitentias legimus. nec ſolum ipſius homicidæ, ſed eius etiam qui occiſus eſt, conſideratio haberi ſolet,* [f] *utpote ſi Iudæus, uel gentilis fuerit occiſus, non Chriſtianus. Decem autem annorum pœnitentia oneratur* [g] *adulter, qui diu in adulterio manſit: Item* [h] *presbyter qui uxorem duxit, uel* [i] *fornicatus eſt, dumtamen a fornicatione diſcedat. buius autem pœnitentiæ modum a synodo Gangrenſi*

e Eadem. 69.
f Eadem 72.
g Eadem 78.
h Eadem 73.
i Eadem 14.
K Eadem 16.
l Eadem 40.
m Eadem 74.
n Eadem 76.
o Eadem 5.
p Ilerdē. ſyn. 2.
q 12. q. 2. de uiro.
a 30. q. 4. ſi pater.
b 33. q. 2. admonerem.
c 22. q. 1. prædicandum
d 33. q. 2. hoc ipſum
e diſt. 50. c. ei qui cū 2, capitibus ſeq.
f Diſt. 50. qui uero.
g Elibert, ſyn. 64.
h Romana ſyn. ſub Siluestro. c. 10.
i Diſt. 82. preſbyter ſi fornicationem.

Gangrenſi ſtatutam primo fuiſſe legimus. eadem quoq; imponitur [k] *monacho, ac ſanctimoniali fornicanti, Item* [l] *catholico qui ad hæreſim tranſiit, ſi tamen poſtea ad Eccleſiæ gremium reuertatur.* [m] *Item ei qui diu ad Eccleſiam non acceſſit, ſi poſtea ad eam redeat, dummodo deſertionis tempore idolatra non fuerit.* [n] *Nec non ei, qui Capitolium ſacrificandi cauſa aſcendit.* [o] *Item ei qui uxorem ſuam propter adulterii flagitium dimittit. Item* [p] *parricidis,* [q] *& iis, qui poſt baptiſmum ad militiam quam reliquerant, reuerſi ſunt. Duodecim uero annorum pænitētia multabatur* [a] *epiſcopus, uel clericus, qui cum ſpirituali filia fornicatus fuerat. Non tamen ſtata hæc ac firma ſemper regula erat,* [b] *quippe cum unius, eiuſdemque peccati pænitentia, ex leuitate, uel grauitate criminis, eorum, qui præerant arbitrio, uariaret. conſtat hoc ex canonibus, quos Petrus Martyr archiepiſcopus Alexandrinus, et Baſilius Magnus in opere ad Amphilocum de pænitentia ediderunt.* [c] *et Pius in eandem ſententiam homini peieranti, aut unius quadrageſimæ, aut anni, interdum trium, et ubi fuerit grauius crimen, ſeptem annorum pænitentiam ſtatuit.* [d] *& hæc ratio fuit, cur omnium peccatorum pænitentiam canones non præſcripſerint, quippe cum in arbitrio ſacerdotum eſſet, illam ſeu minuere, ſeu potius augere.* [e] *Minui autem ſolebat propter feruorem, ac lacrymas pænitentium:* [f] *augebatur uero tum, cum uel pænitentes negligentes in peragenda pænitentia eſſent,*

k 27. q. 1. deuotam.
l Elibert. ſyn. 22.
m Elibert. ſyn. 46.
n Eadem 59.
o Eadem 70.
p 33. q. 2. latorem.
q. 28. Nicena ſyn. c. 2.
a 30. q. 1. ſi quis ſacerdos.
b Laodicena ſyn. 2.
c 22. q. 5. qui compulſus & c. qui peierat.
d De pænit. diſt. 1. c. menſuram.
e Nicena ſyn. 12. Ilerden. ſyn. c. 1. 5. & 9. Neocæſar. ſyn. c. 3.
f Ilerd. ſyn. c. 1 diſt. 50. ſi quis altario.

uel cum ſacerdotum præceptis minime morem gere rent, [g] ut ſi de Eccleſia exire iuſſi, non exiuerint, [h] uel ſi reuerſi ad uomitum eſſent, aut ob aliam quan dam ſimilem cauſam. ſunt etiam quædam crimina, quibus perpetua pœnitentia, hoc eſt usque ad obitum, perſecutione aduerſus Eccleſiam ingruente, imponebatur, quæ poſtea arbitrio eorum, qui præerant, paſtorum imminuta eſt. nam Elibertina ſynodus, quæ poſt lapſum Marcellini Pontificis habita fuit, [i] ſacræ uirgini corruptæ perpetuam pœnitentiam, quam poſtea [k] Toletana tertia synodus, uti paulo ſuperius diximus, decennalem tulit, imponit. [l] id ipſum ſtatuit flaminibus, qui dijs quidem nõ immolarunt, ſed munus nihilominus obtulerunt. hoc autem multo magis contra eos, qui ſacrificarunt, ſeruatum eſſe [m] Valentinæ ſynodi quæ in Gallia ſub Gratiano, & Valentiniano Auguſtis, a triginta epiſcopis habita eſt, decreto oſtenditur. quod etiam poſt remiſſam perſecutionem interdum ſeruatum eſſe, [n] multis in locis proditum inuenitur. Verum poſtquam a perſecutionibus Eccleſiæ ceſſatum eſt, pœnarum quoque acerbitas remiſſa eſt, quemadmodum ab [o] Innocentio his uerbis, cum de incontinentibus loquitur, egregie eſt explicatum. De his obſeruatio prior durior, poſterior, interueniente miſericordia, inclinatior eſt: nam conſuetudo prior tenuit, ut in extremo uitæ cõcederetur pœnitentia, ſed communio negaretur. nam cum illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne cõmunionis conceſſa facilitas

g Ilerden. syn. c. 10.
h Epaonen. s. 23. Aurelian. primi 13. Venetica s. c. 3.
i Eliber. syn. 13.
K 27. q. 1. de uo tam. diſt. 50. ſi quis uoluntate
l Elibert. syn. c. 2.
m Valent. syn. 3.
n 30. q. 1. oẽs & ſi quis ſacer dos.
o Innocentius primus ad Exuperium epiſcopũ epiſt. 3. c. 2.

litas, homines de reconciliatione ſecuros, non reuo caret a lapſu, negata merito communio eſt, conceſſa pænitentia; ne totum penitus negaretur, & duriorem remiſſionem fecit temporis ratio. Sed poſtquã Dominus noſter pacem eccleſiis ſuis reddidit, iam depulſo terrore, communionem dari obeuntibus placuit, et propter Domini miſericordiam, quaſi uiaticum profecturis: et ne Nouatiani hæretici negantis ueniam, aſperitatem, & duritiam ſubſequi uideamur. rationem autẽ temporis habitam eſſe, Elibertinæ synodi, quæ poſt lapſum Marcellini Pontificis Hiſpaniæ habita eſt, decretis oſtenditur. illa enim aliquot delinquentes ad communionem, etiam in extremo uitæ tempore haud recipit. huiuſmodi autem ſunt, [p] *fidelis ad idolatriam reuerſus:* [q] *flamen* p Elibert syn. c. 1.
qui poſt ſuſceptum baptiſmum rurſum ſacrificauit. q. Eadem 2.
[a] *idem ſtatuitur, ſi munus tantum obtulit, actaque* a Eadem 3.
de eo crimine pænitentia, mœchatus poſtea fuerit.
[b] *item qui maleficio, ac magiæ, uel idolatriæ arte,* b Eadem 6.
hominem occidit. [c] *Item adulter, qui acta de adulte* c Eadem. 7.
rio pænitentia, rurſum poſtea mœchatus eſt. [d] *Item* d Eadem 64.
mulier quæ usquẽ ad mortẽ in lenocinij crimine fuit.
[e] *nec non uidua, quæ lenonis ſui nuptijs iungitur,* e Eadem 72.
deinde eo relicto alterum ducit. [f] *femina quæ nulla* f Eadem 8.
præcedente cauſa, relicto uiro ſuo, alteri nupſit. [g] g Eadem 12.
ad hæc parentes, qui proſtituunt filias: [h] *uirgo Deo* h Eadem 13.
dicata libidini inſeruiens: [i] *Item qui filias ſuas ſa-* i Eadem 17.
cerdotibus idolorũ nuptui tradunt: [k] *ſacri homines* k Eadem 18.
mœchantes: [l] *adultera quæ natũ ex adulterio filium* l Eadem 63.

 necat:

m Eadem 65. n Eadem 66 o Eadem 71. p Eadem 75. q Cabilon.ſ.8. Toletana 11. c.7. Innocentius primus Decẽtio Eugubino epiſt.1.c.7. Socrates hiſt. trip.lib.9.c. 35 diſt. 50. c. de his uero. a Triburien. ſ.55. 56. 57. 58. & ſ. apud Theodonisuillam acta. b Toletana 3. ſ.11. Leo primus Theodoro foroiulienſi epi. 89. Elibert. ſyn.c. 5.& 69. c Innocentius primus ad Exuperium epiſt.3 c.2. Celeſtinus epi. 2.c.2. d Innocentius ibidem. e Nicena.ſyn. c.13. f Nicena ſ. 13. Elibert 5. 69. Innocent.ibid. Leo primus epiſt.89.

necat: [m] *Clericus uxorem adulteram ſcienter retinens:* [n] *is qui priuignam ducit uxorem:* [o] *ſtuprator puerorum:* [p] *demum is qui ſacris initiatum falſo de aliquo crimine inſimulauerit.* [q] *Imponebatur autem pænitentia ab eccleſiæ præſulibus, ac ſacerdotibus poſt peractam peccatorum omnium confeſſionem, diligenti prius de ſingulis criminibus habita conſideratione:* [a] *impoſitæ uero pænitentiæ tempus lacrymis, eleemoſynis, atque ieiunijs impendebatur. ieiunij autem lex præſidentium arbitrio, pro criminum diuerſitate, temporis etiam ratione habita, uariabat, quippe cum pænitentiarum acrior quædam apud ueteres cuſtodita ſeueritas, ſemper proceſſu temporis imminuta ſit. Remittebantur autem pænitentiæ uel tunc cum* [b] *perfectæ erant, uel ſi completæ nondum eſſent, mortis tempore:* [c] *in neceſſitate enim poſitum, ac reſipiſcentem hominem, eccleſia nullum abſque reconciliationis munere ex hac ad aliam uitam tranſire unquam paſſa eſt: quod æque omni tempore ſeruatũ, certiſſimum eſt. uerum ad communionis ſacramentum moriẽtes admiſſi ſemper non ſunt: ratio enim temporum, criminumq;* [d] *hac in re haberi ſolita eſt.* [e] *Nicena ſynodus etſi uetuſtiſſimum inſtitutum eſſe prodat, ut nemo e pænitentibus ſine uiatico, atque communionis ſacramento ab hac uita recedat, Hiſpaniæ nihilominus hoc ſemper ſaruatum minime eſſe, ex ijs, quæ ſupra ex elibertino concilio ſcripſimus, patere omnibus poteſt.* [f] *uerum omni tamen tempore fuit, nemini*

ni in morte reconciliationis manum negatam fuiſſe. Omnes autem, qui nondum pænitentiæ legibus adimpletis, propter inſtantis mortis periculum, eccleſiæ reconciliati erant, ſi poſtea conualuiſſent, ad implendas [g] *indictæ pænitẽtiæ leges compellabantur.* [h] *alioqui manibus illis a ſacerdotibus ſecundum inſtitutum uetus* [i] *ſollemniter nõ impoſitis abſoluti minime dicebantur. Si qui uero dum pænitentiæ leges attente exequuntur, ante reconciliationem, caſu aliquo interueniente, mortem obijſſent,* [k] *memoria eorum orationibus, & oblationibus Deo commendabatur, licet alicubi de hoc (ut a* [l] *Toletana ſynodo teſtatum inuenimus) uariatum fuerit. Tempus autem quo pænitẽtes recõciliari ſolebant, erat* [m] *feria quinta ante Paſcha,* [n] *tunc ſcilicet, cum ſacrificiũ ſeruatoris Chriſti publice in eccleſia offerretur.*

Imponebatur uero pænitentia uel [o] *publice in eccleſia, uel* [p] *coram duobus, aut tribus teſtibus, uel etiam priuate, quippe cum alia publicis, alia priuatis criminibus pænitentia deberetur. Agebatur autem quolibet in loco, niſi quis ob magnam criminis atrocitatem in* [q] *monaſterio, alibiue occluſus fuiſſet: at etſi omni in loco pænitentiam homines agerent, quotannis tamen publice pænitentes ad eccleſiæ fores, coram omni populo, die* [a] *quinto ſacræ hebdomadæ a decanis ſuis, & presbyteris ſuis reducebantur: omneſque dum explendis pænitentiæ legibus operam in eccleſia dabãt, ne dum a ceteris fidelibus* [b] *ſeparati erant, dum cum illis*

g Carthag. 4. syn. 76. Gerũd. syn. c. 9. Græcæ syn. c. 83.

h Carthag. 4. syn. 78. 26. q. 6. is qui in infirmitate. diſt. 50. c. quicunq; i 26. q. 6. is qui recedunt, & in c. is qui in infirmitate.

K Carthag. 4. c. 79. 26. q. 7. ſacerdos pænitẽtiam.

l Toletana 11. c. 12.

m Innocentius primus Decentio Eugubino c. 7. diſt. 50. in capite de cons. diſt. 2. in cæna.

n Damaſus epiſt. 4. de coepiſcopis Hispalen. 2. syn. c. 7.

o Toletana 11. c. 7. diſt. 50. in capite.

p. Toletana 11. c. 7.

q Diſt. 50. ſi ille qui 16. q. 6. de lapſis. 20. q. 1. ſicut qui monaſteria.

uel non orarent,[c] *uel non communicarent*,[d] *uerum etiam quibuſdam ſtatutis diebus manus impoſitionem a ſacerdotibus accipiebant. Scribens de Theodoſio Imperatore Auguſto, qui publicam agebat pænitentiam*,[e] *Theodoretus, in hanc eandem ſententiam ſic ait. Ita demum diuus Ambroſius uinculis ipſum exoluit, & templum introire fideliſſimus Imperator auſus, non ſtans, neque genibus flexis ſupplicabat Domino, ſed pronus humi ſtratus, Dauidicã uocem emittebat: Agglutinata eſt pauimento anima mea, uiuifica me ſecundum uerbum tuum.*[f] *manibus capillum uellens, & frontem percutiens, ac guttis lacrymarum pauimentum rigans, dari ueniam ſibi petebat.*

Abſolutio autem[g] *publice in eccleſiã impendebatur, & ubi publicum ac uulgatiſſimum fuerat crimen, ita ut omnem eccleſiam offenderit, manus ante abſides in propatulo imponebantur:*[h] *ſicut id ipſum ante fores eccleſiæ fiebat excõmunicato, dum intra fidelium communionem reciperetur. qui uero ob inſtantẽ mortis neceſſitatem, domi, ac*[i] *priuate reconciliatus fuerat, ſi cõnualuiſſet,*[k] *publice illi poſtea abſolutio impendebatur.*[l]

Veſtes etiam ij, qui publice pænitebant, mutantes,[m] *cilicio (Tertulliano, alijsque auctoribus) induebantur. quod obſeruatum quoque eſſe in ijs, qui in extremo uitæ poſiti pænitẽtiam accipiebant*,[n] *Toletanum cõciliũ prodit his uerbis: Quicunq; ab epiſcopo, uel presbytero ſanus, uel infirmus pænitentiã*

poſtu-

c Nicena syn. c. 11. Felix 3. epiſt. 1. c. 3. & 4.
d Carthag. 4. s. 80. Felix 3. epiſt. 1. c. 3. & 4.
e Hiſt. eccl. lib. 5. c. 18.
f Damaſus epi. 4. Hiſpalẽſis 2. syn. 7. 26. q. 7. ſacerdos.
g Carthag. 3. syn. 32. African. syn. 10.
h 11. q. 3. cum aliquis.
i 26. q. 6. is qui in infirmitate.
K diſt. c. is qui in infirmitate.
l diſt. 50. pæni. tentes. Toletana 11. syn. 2.
m Diſt. 50. in capite de pænit. diſt. 1. qui ſanctus. Tertullianus in lib. de pænitentia.
n Toletana 3. syn. 12.

poſtulat, id ante omnia epiſcopus ſeruet, & presbyter, ut ſi uir eſt, ſiue ſanus, ſiue infirmus, prius eum tondeat, aut in cinere, & cilicio habitum mutare faciat, & ſic pœnitentiam ei tradat. Si uero mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, niſi prius aut uelata fuerit, aut mutauerit habitum. ſæpius enim laicis cum feminis tribuendo deſidioſe pœnitentiam, ad lamentanda rurſus facinora, poſt acceptam pœnitentiam relabuntur. Hanc autem uelandarum in pœnitētia feminarum conſuetudinem, uetuſtam fuiſſe, Optatus Afer Mileuitanus epiſcopus, qui ſub Valentiniano Auguſto floruit, in ſecundo aduerſus Parmenianum Donatiſtam libro, aperte diſerteque oſtendit. Subſcribens huic ſententiæ [o] Auguſtinus, etiam eos, qui ſecreta ſatisfactione pœnitentiam agebant, ueſtes mutare ſolitos eſſe aſſeuerat. Semel autē aſſumptas pœnitentiæ ueſtes [p] deponere, niſi peracta pœnitentia, ſicut nec ad militiam quā deſeruerat reuerti, nemo poterat, etiam ſi mortis tempore neſciens quid ageretur, illas indutus fuiſſet, dummodo illum pœnitentiam quæſiuiſſe conſtaret. Pœnitentiarum ſeueritatem longe maiorem priſcis temporibus fuiſſe, iam ex [q] Innocentio diximus: mitius ſchiſmatis, aut idolatriæ timore tunc quoque cum pœnitentibus interdum actum eſſe, [a] diuus Silueſter una cum ſynodo, uti ſupra oſtendimus, atteſtatur. At poſtquam Eccleſia pacem habere cœpit increbreſcentibus quotidie ſceleribus, hominisque natura uitijs oblandiente, paulatim

o Aug. de eccl. dogmatibus 53

p Toletana 13. syn. c. 2.

q Innocent. primus Exuperio epiſcopo epiſt. 3. c. 2.

a Romana s. ſub Silueſtro 16.

latim illa ſeueritas ita in deſuetudinem abijt, ut nulla, aut parua de criminibus acta pœnitentia, peccatores a presbyteris abſolui cœperint, de qua re patres [b] Toletani tertij concilij maxime conqueruntur. ad rigorem autem illum pertinebat, ultra ciborum, lauacriq; iniunctas abſtinentias, multasque alias [c] indictas ſeparare hominẽ uel a [d] communione, [e] oblatione, [f] oratione, uel a [g] conuiuio [h] colloquio, [i] conuerſationeque fidelium: uel illi, [k] ingreſſu eccleſiæ interdicere, aut ab [l] equitatione remouere, aut in [m] monaſterium, ueluti in ſacrum carcerem peccatorem uſque ad mortem includere. ueteris quoque rigoris erat, ut qui a communione euchariſtiæ prohiberetur, a [n] munerum quoque oblatione prohibitus intelligeretur. [o] Inobedientes etiam pœnitentes, & qui in pœnitentia peragenda [p] deſides ac negligentes erant, [q] itemque qui impoſitam temere deſerebant, acrius, ac ſeuerius paſtorũ arbitrio puniebantur. [a] uetitum etiam erat pœnitentibus, ſicut excommunicatis, ab alio presbytero recipi, uel epiſcopo, quãuis eccleſiæ reconciliati fuiſſent, niſi ſuorum rectorum teſtimonio, ſe iam per manus impoſitionem abſolutos fuiſſe probarent. [b] Eiuſdem rigoris erat, dimitti non poſſe ab homine pœnitentiam, quam prudens in infirmitate poſitus petijſſet, etiam ſi poſtea ſentiẽdi uiribus omnino amiſſis, ignoranti illa fuiſſet impoſita. [c] Item quod qui domi ob inſtantem mortem abſolutus fuiſſet, morbo liberatus, nõ [d] ſolum pœnitentiam perficere,

b Toletana. 3. syn. 11.
c hiſt. trip. lib. 9. c. 35.
d Nicena syn. 5.
e Eadem 11.
f Eadẽ 12. 13.
g Ilerden. syn. 4. Arelat. 2. c. 30. Aurelian. 1. c. 13.
h Aurel. 2. c. 30 Felix tertius epiſt. 1. c. 3. 4.
i Ilerden. syn. 6
K Aurelian. 4. c. 24.
l Triburiẽ. c. 5.
m Aurelian. 3. c. 7.
n Elibert. syn. 28.
o Ilerden. syn. 10. Aurel. 1. c. 13. Epaonen. 29.
p Carthag. 4. c. 75.
q Venetica syn. c. 3. Aurelianẽ. 1. c. 13.
a Felix tertius epiſt. 1. c. 6.
b Toletana 12. c. 2.
c 26. q. 7. qui recedunt Carth. 4. c. 78.
d 26. q. 7. ab infirmis.

ficere, ſed manus quoque impoſitionem publice pro eadẽ re in eccleſia accipere teneretur. [c] *Veteris quoque inſtituti erat, ut pænitentiam ab hæreticis peccatoribus impoſitam, catholici (criminum enarratione rurſus audita) iterum in eccleſia indicerent.* [f] *ſecundis quoque nuptijs pænitentiam antiquitus iniunctam fuiſſe legimus: hoc autem non ideo fiebat, quòd illicitæ ſecundum Montani, & Tertulliani errorem illæ ſint, ſicut non ſunt etiam tertiæ, & aliæ ulteriores, ſed uel ad cõmendandam Chriſti cũ una tantum eccleſia coniunctionẽ, & ſanctã quandam Chriſtianæ reip.* πολιτείαν, *uel ne explẽdæ libidinis, cũ ita ſcilicet cõtraherentur, probari ardor ab Eccleſia uideretur. quæ cauſæ, uti exiſtimo, ſanctæ religionis noſtræ proceres mouerũt, ut nec illæ a presbyteris benedicantur, nec ex eis in ſacros Chriſti miniſtros aliquis niſi priuilegio diſpenſationis aſſumatur. Vltra autem expletas, ac exolutas pænitentiæ multas, illa inſuper pænitentis* [g] *pœna erat, quòd ſi* [h] *publice eam egiſſet,* [i] *ordinari in clericum nequaquam poterat, niſi* [k] *magna in eccleſia neceſſitate.* [l] *ordinatus quoque ſi pænitentiam egiſſet, minora tantum officia exercere poterat,* [m] *niſi magna hominũ mutatio facta eſſet, &* [n] *pænitentia ſollemnis illa non fuerit. Nec ſolum ab ordinibus ſuſcipiendis, uerum etiam a* [o] *contrahendis nuptijs publice interea pænitentes impediebantur: & ſi coniugatis indicta pænitentia fuiſſet* [p] *(quod tamen fieri ſine utriuſque conſenſu non poterat) a coniugij uſu* [q] *abſtinere il-*

li

c Mileuitana syn. 23.

f Neocæſar. syn. 7. Laodicena c. 1. 31. q. 1. de his.

g Carthag. 4. 68. diſt. 50. ex pænitentibus.

h Diſt. 50. in cap. §. fi.

i Siritius ep. 1. Himerio. c. 14. diſtin. 50. illud quoque.

K diſt. 50. placuit.

l diſt. 50. qui ſub gradu.

m diſt. 50. ſacerdos quidã §. 2.

n diſt. 50. ſi quis poſt. §. 2.

o Arelaten. 2. c. 21. Toletana 6. c. 8

p Arelaten. 2. c. 22. 33. q. 4. pænitentiã coniugatis.

q Leo primus Ruſtico Narbonenſi epiſcopo epiſt. 90. c. 11.

li interea tenebantur, niſi eorum incontinentia huic rei impedimento fuiſſet. propterea conſuetum erat, ut[a] *coniugi poſt mortem ſocii pænitentia indiceretur: ex*[b] *eodemque prodiit fonte, ut adulteræ, atque pollutæ Virgini, etiam ſi ſacrata illa fuerit, eadem non imponeretur, niſi poſt mortem adulteri, ac lenonis: quando legitimum haud erat, ut parem in pari crimine penitentiá rei ambo non agerent. At non ſolum matrimonio, eo quo diximus modo, pænitentes priuati erant, uerum etiam extremæ unctionis ſacramento. ait enim idem Pontifex*[c] *Innocentius dum ad Decentiũ Eugubinum epiſcopum de extrema unctione reſponſum facit: Pænitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt ſacramenti: nam quibus reliqua ſacramenta negátur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi?*

a Innocent. primus Victricio epi. c. 15.
b Innocentius ibidem.
c Innocent. primus Decentio Eugubino ep. 1.

Ritus autem in conferendis pænitẽtijs huiuſmodi erat.[d] *Sacerdos qui eam indicebat, ne odio aliquo, aut nimia ſæuitia impulſus moueretur, proprio chirographo inſcriptam, teſtibusq; adhibitis, ne factum negari poſſet, eam ſignabat. isque qui poſtulabat, ſi hæreticus fuiſſet, ad ſuſcipiendum eam non admittebatur,*[e] *niſi prius per chriſma, ac impoſitionem manus in catolicæ Eccleſiæ gremium reuertiſſet. quod illi urgente neceſſitate etiam*[f] *per presbyterum expleri poterat. Cum autem eſſent in Eccleſia ij qui pænitentiam ſuſcepiſſent, illius legibus adimplendis ſtudioſe, humiliterque uacabant. leges autem pænitentiæ non eædem omnibus, ut diximus,*

d Toletana 11. syn. c. 7.
e Epaonẽ. syn. c. 16.
f Epaonẽ. syn. ibidem.

præ-

præfigebantur, quapropter nec unus, idemque pœnitentium omnium erat ordo. ad Rectoris enim arbitrium, [g] *aut inter audientes tantum, & catechumenos pœnitentes relegabantur, cum quibus de Eccleſia poſt miſſam, quæ catechumenorum dicitur, exire compellebantur.* [h] *Dionyſius Areopagita, meriti, & hominis capacitatis in eijciendo rationem habitam fuiſſe ſcribit, ita ut pœnitentes poſt catechumenos, uerum antè energumenos e templo ideo expellerentur, quòd pœnitentes energumenis inferiores, catechumenis uero digniores crederentur. Aut inter* [i] *pœnitentes alios, quibus ſola ſacramenti euchariſtiæ ſuſceptio interdicta erat, reiiciebantur: hi* [k] *autem orare cum populo, communicare autem, aut offerre minime poterant: quando ueteri, ut ſupra ſcripſimus, inſtituto cautum erat, ut* [l] *offerre non poſſet, qui communicare non ualebat. Quidam uero a communione quidem minime prohibebantur, uerum* [m] *peregrinam tantum, hoc eſt non ſui, ſed inferioris ordinis, illam ſuſcipiebant. cuiuſmodi erat peccans clericus, cui* [n] *peregrina, hoc eſt* [o] *laica tantum communio concedebatur. Variæ igitur pœnitentium, quemadmodum & catechumenorum, claſſes erant.* [p] *Quidam enim catechumeni audiebant tantum,* [q] *quidam audiebant, & orabant, inter quos reiecti pœnitentes eadem prorſus, quæ illi agebant, & ab eiſdem, a quibus illi abſtinebant: quapropter* [a] *pœnitentes, qui in primam catechumenorum claſſem reiecti fuerant, audire quidem*

g Arelaten. 2. c. 11. Valentiniana. 1. Nicena 11. Agatenſis 61. Epaonen. 29.

h Dionyſius de eccl. hierar. c. 6. 7. 19. 20.

i Arelaten. 2. c. 11.

K Nicena syn. 11. 12.

l Elibert. syn. 28.

m Agathē. syn. c. 2.

n Agathē. c. 5.

o Eadem syn. c. 50.

p Neocæſar. s. c. 5.

q Eadē ibidem. Epaonē. syn. 29

a Epaonē. syn. 29.

dem uerbum Dei, orare autem nullo modo poterant. Præter hæc erant alij ex pænitentibus, qui a [b] communione tantum prohibebantur: his autem oblationem quoque munerum interdictam fuiſſe, ſæpius diximus. Vna uero omnium pænitentium pœna erat, ut a communione abſtinerent, uel eam cum inferioris ordinis hominibus peregrinam ſuſciperent, niſi ex [c] cauſa, [d] humanitate præſulum aliud ſtatutum eſſet. Gregorius Neocæſarienſis archiepiſcopus θαυματεργὸς a miraculis appellatus, per quinq; loca, in quibus pænitentes, ſecundum uarias pænitentium pœnas, morabantur, diſerte hanc omnem hiſtoriam explicat. horum autem locorum primus extra oratorii portam erat, uocabaturque a Græcis πρόκλαυσις, nomine a luctu accepto. ibi enim pænitentes immorantes, magno cum gemitu, & eiulatu, introeuntes ad orationẽ ſupplices poſtulabant, ut pro ſe, & ſuorum peccatorũ remiſſione, ad Dominum orarent. Alter uero locus intra portã poſitus erat, ibique ad audiendum uerbum Dei poſt catechumenos manebant: uocabatur hic locus ἀκρόασις ab audiendo, et a refloreſcentiæ forte tyrſo Νάρτηξ. ex hoc loco poſt conciones pænitentes expellebantur, quando precibus adhuc intereſſe una cum catechumenis minime poterant. at ſi cum catechumenis ad orandum remanere poſſent, tertio ſiſtebantur loco, qui a ſpeculatione diuinorum oraculorum ὑπόπτωσις dicebatur. ex hoc autem loco poſtea una cum catechumenis egrediebantur. Quartus uero locus

b Arelaten. 2. syn. c. 10.

c Romana syn. ſub Silueſtro 16. Laodicena c. 1. 2. diſt. 82. presbiter. d Arelaten. 2. c. 10. Nicena 11.

locus erat, ubi pœnitentes, qui cum catechumenis e templo non egrediebantur, una cum ſanctis, et im pollutis hominibus remanebant. proptereaque σύ-στασις a ſtando, appellabatur. Quintus uero, & poſtremus locus erat, ubi manebant ii, qui omnes pœnitentiæ leges explerant; proptereaque ueluti a ſceleribus emundati communionem iam iam recepturi præſtolabâtur. uocabatur hic locus ex expletionis nuncupatione μέστοξις. Interea autem quod indictæ pœnitentiæ leges implebantur, mos erat, ut de claſſe in claſſem gradatim pœnitentes [e] trans- e Nicena syn.
ferrentur, ueluti de prima, quam diximus, ad ſecun c.11.
dam, et ita uſque ad ultimam: quouſque omnibus pertranſitis, communioni tandem reſtituerentur. In peragenda quoque pœnitentia, dum pœnitentes in templo morabantur, conſuetum erat, ut omnes, ſingulis [f] ieiunij diebus, ſacerdotibus capita palàm f Carthag.4.c.
ſubmitterent. quo tempore poſt catechumenorũ di 80. 26. q. 7. ſacerdos.
ſceſſum, [g] orationes ſuper eos fiebât: [h] manus enim g Laodicena syn.19.
ſine oratione minime umquã in eccleſia imponeban- h 1.q.1. manus
tur. At non ſolum ſacerdotibus capita quibuſdam impoſitio.
ſubmittebant diebus, uerum etiam [i] genua in eccle- i Carthag. 4.
ſia ſemper flectebant. remiſſionis enim tempore ſtan c.82.
tes orare una cum ceteris fidelibus minime poterât. Et ſicut ſeduli in explenda pœnitentia gradatim per claſſes ad ſuſcipiendam euchariſtiam pertranſibant, ita illi qui in pœnitentia manentes, rurſum prolapſi eſſent, in inferiorem pœnitentium ordinem reijciebantur: quod ipſum etiam in catechumenis ſeruabatur.

tur: quippe cum catechumenorum quoque ordines eſſent, alter ab altero diuerſus. quamobrem[k] *proditur, quòd catechumenus peccans ſi prius audiſſet, et oraſſet, in claſſem audientium tantum catechumenorum reijciebatur. ſi uero audiſſet tantum, omnino ab eccleſia expellebatur. Veſpillonum quoq; officio pœnitentes fungebantur,*[l] *mortuos enim in eccleſiam afferebant, humique mandabant. infimis profecto eccleſiæ munijs illis humilitatis, & pœnitentiæ cauſa commiſſis. Dum uero extra eccleſiā degebant, indictam ſibi a præſulibus pœnitētiam ſedulo adimplebāt, ſiue illa eſſet*[m] *ieiunij, ſiue*[n] *orationis, eleemoſynæq;,*[o] *ſiue exilij,*[p] *peregrinationis, aut alicuius monaſterij*[q] *carceris. Indicendi autem ieiunij non una omnium, eademque lex erat: quippe cum ex ſcelerum uarietate ieiuniū etiam uariabat: maiora enim crimina acriori, longiorique ieiunio eluebantur: fortiſſimum uero omnium ieiunium erat panis, & aquæ: hoc*[a] *autem ex criminum atrocitate, uel*[b] *ſingulis ſtatuti temporis diebus indicebatur, uel*[c] *quibuſdam dumtaxat. conſuetum uero erat, ut*[d] *dominicis feſtis diebus, aut non ieiunaretur,*[e] *aut ſi ijs quoque diebus ieiunio propter criminis grauitatem obnoxij eſſent lautius caſeo, ouis, uinoque etiam interdum additis ieiunaretur.*[f] *Omnis tamen indictæ pœnitentiæ ſeueritas, ſemper una cum proceſſione temporis mitigabatur. Si quis uero ieiunare non potuiſſet, redimebat ieiunium ſibi indictum. de qua re ita ſcribit*[g] *Burchardus Vormatienſis epiſ o-*

k Neocæſar. s. 5.

l 26. q. 7. ſacerdos. Carthag. 4. c. 81.

m Laodicena syn. c. 1. diſt. 81 presbyter.

n Laodicena syn. c. 1. & diſt. c. presbyter.

o Toletana 11. c. 7.

p diſt. 50. ei qui homicidiū

q Toletana 11. c. 7.

a Diſt. 50. ei qui homicidiū diſt. 82. presbyter.

b Ibidem.

c Epaonen. s. 29.

d 26. q. 7. ſacerdos.

e diſt. 82. presbyter.

f diſt. c. presbyter & c. ei qui homicidium. Nicena s. 12.

g Burchardus lib. 19. c. 21.

Item qui ieiunare non poteſt, & obſeruare quod in pænitentiali ſcriptum eſt, hoc faciat quod ſanctus Bonifacius Papa conſtituit: pro uno die quem in pane, & aqua ieiunare debet, roget presbyterum, ut miſſam cantet pro eo, niſi ſint crimina capitalia, quæ confeſſa prius lauari cũ lacrymis debent, et tunc ipſe adſit, & audiat miſſam, & deuote ipſe offerat proprijs manibus panẽ & uinum manibus ſacerdotis, & intente reſpondeat, quantum ſapit, ad ſalutationes, & ad exhortationes ſacerdotis, & humiliter Deum deprecetur, ut oblatio, quam ipſe, & presbyter pro ſe, & pro peccatis ſuis Deo obtulerunt, Deus omnipotens miſericorditer per angelum ſuũ ſuſcipere dignetur: et eo die, excepto uino, & carne, & ſanguine, comedat quidquid uult, et ſic redimat reliquos anni dies. Peractis autem pænitentiæ legibus, abſolutio ſequebatur, quæ quinta ſacræ hebdomadæ feria, eo die, quo extremam cænam Chriſtus cum diſcipulis ſuis egit, impendebatur: hoc autem propterea eo tempore fiebat, quòd ad ſuſcipiendam communionem, quæ illo die cunctis fidelibus miniſtrabatur, per abſolutionem dimittebantur. Abſolui autem nemo poterat, niſi prius de crimine pænitẽtiam egiſſet: A ſæculo enim, inquit [h] Gelaſius, non eſt auditũ, ut peccatores non pænitentes abſoluerentur. [i] Toletana tertia ſynodus reprehendit presbyteros, qui peccatores nulla prius impoſita pænitentia, ſtatim abſoluunt: & [k] Moguntina inuehens in eos, qui grauibus peccatis leues imponũt pænitentias, ita ait.

h Gelaſius primus epiſt. ad Fauſtum magiſtrum.

i Toletana 3. c. 12.

K Mogũtina 5. c. 10. Burchardus lib. 19. c. 28.

Modus tempuſq; pænitentiæ peccata ſua confitentibus aut per antiquorum canonum inſtitutionem, aut per ſacrarum ſcripturarum auctoritatem, aut per eccleſiaſticam conſuetudinem probatam, imponi debet a ſacerdotibus. nam qui peccatis grauibus leues quoſdam, et inuſitatos imponunt pænitentiæ modos, conſuunt puluillos ſecundum propheticum ſermonē, ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite uniuerſæ ætatis ad capiendas animas: ſed diſcretio ſeruanda eſt inter pænitentes publice & abſconſe. nam qui publice peccat, oportet ut publice multetur pænitentia, & ſecundum ordinem canonum, pro merito ſuo excommunicetur, & reconcilietur. Hæc ſynodus. Ita autem pænitentia pro peccatis neceſſaria erat, ut abſolutio niſi ea peracta, non impenderetur, niſi in mortis neceſſitate: tunc[l] enim quilibet pænitens ſtatim reconciliabatur. uerum ſub ea condicione hoc fiebat, ut ſi unquam conualuiſſet, ad rite peragendam pænitentiam æger poſtea obligaretur: proptereaque nemo poſt mortem abſoluebatur, quia eo tempore, ut inquit[m] Gelaſius, nulla de crimine pænitentia peragi poteſt. omnis autem abſolutio, duobus profecto conſtabat, manus ſcilicet impoſitione, et oratione. hæc autem manus impoſitio alia prorſus eſt ab ea, [n] qua Spritus ſanctus in confirmatione accipitur. de qua ſcribens [o] Lucas euangeliſta ait: Tunc imponebant manus ſuper illos, et accipiebant Spiritum ſanctū. quam orationē quoque præcedere ſolitam eſſe, idem comme-

Ezech. 13.

l Hanneteu. syn. c. 2. ex Burchardo lib. 18. c. 3.

m Gelaſius primus epiſt. ad Fauſtum magiſtrum.

n Leo primus epiſcopis Germaniæ & Galliæ, epiſt. 86.

o Act. 8.

commemorat. item diuerſa etiam eſt ab illa, quæ in conferendis ordinibus eſt in uſu, de qua loquens [p] Paulus apoſtolus ait: Manum nemini cito impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis. & [q] alibi: Noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterij. Traxit autem hæc, de qua loquimur, impoſitio manus originem ab ipſo Chriſto, quem in curandis infirmis manus ſuper illos imponere ſolitum fuiſſe ex [a] euangelij hiſtoria didicimus. quæ enim maior infirmitas, quàm animæ eſt? hanc autem Chriſtum una cum infirmitate corporis ſemper curaſſe, nemo eſt qui inficietur. Mirum igitur alicui eſſe non debet, ſi exemplo ſeruatoris, præceptoriſque ſui Chriſti, eccleſia in curandis animorum languoribus manus ſuper pænitentes imponat; præterquod hæc impoſitio manus ſimilis eſt etiam ei, qua ſpiritus ſanctus accipitur: homo enim peccator ſpiritui ſancto per eam, dum a peccatis abſoluitur, recõciliatur. de qua re loquens Dauid propheta, dum pænitens illacrymabat, aiebat: Et ſpiritu principali confirma me. Eſt autem hæc manus impoſitio duplex, publica ſcilicet, & priuata. Dicitur uero [b] publica ea quæ publice in eccleſia coram omni fidelium cœtu ſuper pænitentes imponitur. fiebat autem hoc uel ante [c] abſidem, quando uulgatiſſimum crimen fuerat, ſublimi ſcilicet, & conſpicuo in loco, aut alibi, ubicunque præſulibus uiſum fuiſſet. Priuata uero dicitur illa, quæ domi, aut ali-

p 1. Tim. 5.

q 1. Tim. 4.

a Marc. 6.

b Damaſus ep. 4. de chorepiſcopis. Carthag. 2. c. 3

c Carthag. 3. c. 32. Africana syn. c. 10.

d Carthag.4.c. 76.
Toletana. 11. c.12.
Leo primus Theodoro Foroiulienſi epiſcopo ep. 89.
Innocent. primus Decentio Eugubino ep. 1.c.7.
e Carthag. 4. c.75.78. 26.q. 7.qui recedũt.
f D.c. qui recedunt.
g Mileuitana syn.12. Africanæ. 70.
h Laodicena syn.19.
i Mileuitana syn.12. Africanæ. 70.

quo priuato in loco imponebatur; [d] *ut cum inſtante morte ubilibet quis abſolueretur. hanc autem quia conualeſcente homine,* [e] *iterari publice in eccleſia poſt expletas pœnitentiæ leges, opus erat,* [f] *quidam impoſitionem manus appellare minime uolunt. ſiue igitur publice, ſiue priuate abſolutio exhiberetur, ſine manus tamen impoſitione nunquam exhibebatur. comitabantur autem impoſitionẽ manus* [g] *uerba &* [h] *orationes, quibus Deus pro abſolutione hominis ſuppliciter orabatur: cuiuſmodi erant illæ, de quibus ſupra, cum de forma abſolutionis in ſacramento confeſſionis pertractauimus, dictum a nobis eſt. Hac autem in re ne contra religionis, & catholicæ conſuetudinis ueritatem aut diceretur aliquid, aut oraretur, epiſcoporum concilio* [i] *manus impoſitionem, hoc eſt uerba & orationes, quibus in impoſitione manus utebantur, approbari neceſſe erat. Quod autem ſuper pœnitentes oraretur, non ſolum a* [k] *Socrate in hiſtoria aſſeueratur, uerum etiam a* [l] *Laodicena ſynodo his uerbis diſerte proditur: Quòd oporteat ſeorſum primum poſt allocutiones epiſcoporum, orationes ſuper catechumenos celebrari: & poſtquam catechumeni egreſſi fuerint, ſuper eos, qui ſunt in pœnitentia, precem fieri. his etiam accedentibus ad manum ſacerdotis, & diſcedentibus, tres orationes conſummari fidelium, ita ut prima quidem ſub ſilentio, ſecunda uero et tertia per exclamationes ſolitas expleantur: & ita demum pacem ſibi inuicem dabunt. Orabatur*

k Hiſt.trip. lib.9.c.35.
l Laodicena syn. c.19.

tur autem pro pænitentis abſolutione, uel cum[m] ſeptem pænitẽtiæ pſalmis, uel cum alijs[n] precibus, et orationibus, quas[o] epiſcoporum concilium approbaſſet.[p] Auguſtinus dum ſcribit de ea impoſitione manus, qua Spiritus ſanctus in confirmatione accipitur: Quid enim aliud, inquit, eſt impoſitio manus, niſi oratio ſuper hominem? hoc autem ex apoſtolica inſtitutione duxiſſe originem,[q] Lucas euangeliſta luce clarius in apoſtolorum tradit hiſtoria. Abſoluebatur autem pænitens poſt expletam pænitentiam, niſi mors homini immineret: tunc enim omni tempore, omnique in loco, & a quocunque ſacerdote abſolui pænitentem, conſuetum fuiſſe ſæpius diximus. quod ipſum moriẽtibus præſtabatur,[a] etiam ſi loquendi poteſtatem iam perdidiſſent, &[b] reſpondere non poſſent, ſi tamen illos pænitentiam, & abſolutionem poſtulaſſe conſtaret. ſi quis uero pænitens ante receptam abſolutionem mortuus eſſet, eius[c] memoria orationibus, & oblationibus commendabatur. orabatur enim pro eo ab eccleſia, & pro eius delictis, ſeu temporariarum pœnarum remiſſione, incruentum Chriſti ſacrificium a presbyteris Deo offerebatur. hoc enim oblationem pro ipſis recipi, quod[d] toletana ſynodus dixit, ſignificat.[e] Nulli autem in morte abſolutionem negatam,[f] communionem uero interdum, ſuperius diximus. Abſolutionem autẽ ipſam, poſt preces, & orationes, quibus uerbis ſacerdotes præſtarẽt, ſupra cum de confeſſionis forma ſcripſimus explicauimus: abſolutus uero

m diſt.50.in c. 11.q.3.cum aliquis.
n D.c.cum aliquis.
o Mileuitana ſyn.12. Africanæ. 70.
p 1.q.1.manus impoſitio.
q Act.8.
a Carthag.4. c.76. Leo primus ep.89.ad Theodorum Foroiulien.
b Carthag.3.c.34.
c Carthag.4. c.79. 26.q.7. ſacerdos.
d Toletana.11. c.12.
e Innocentius primus, Decentio Eugubino ep.1.c.7.
f Elibert. syn. 6.7.8

pænitens, non ſemper ſuo ordini ſtatim reſtituebatur. legimus enim clericos [g] interdũ inter laicam communionẽ receptos, [h] interdum inter pſallentes tantum.

g Agathẽ. syn. 5. & 50.
h Ilerdẽ. syn. c. 2.

Libet in fine huius operis omnes Chriſti ſacerdotes admonere, ne nimis remiſſi, indulgentesq; in imponendis pænitentijs ſint. ex hoc enim nõ ſolum eccleſiaſticæ regulæ diſciplina omnis reſoluitur, uerum etiã nulla iniecta ex facinoribus præteritis uerecundia, hominibus rurſus redeũdi ad ſcelera, non parua relinquitur occaſio. et hæc una, ut equidem reor, præcipua cauſa eſt, deploratæ propemodum nunc, prolapſæque religionis, & quòd hodie tam perfricta fronte, omnique Chriſtiano pudore ſepoſito, crimina perpetrantur, et eccleſiaſtica uiuendi regula paſſim contemnitur. nam etſi arbitrariæ pænitentiæ hodie ſint, ſacerdotis tamen arbitrium iudicio, iuſtitia, & ueritate inniti debet. & quamuis in tam corrupto, & uitiato ſæculo ſeueritas iſta, quam ex ueteribus collectam, in opere ante oculos lectorum poſuimus, ſeruari modo aliquo non poſſit, proptereaue remiſſa etiam ſit: uideat tamen ſacerdos, et ſecũdum quòd expedire pænitenti, & eccleſiæ, ex qualitate perpetratorum criminum animaduerterit, ex iſtis ſaltem canonibus diſcat, quanta cura, & diligentia pænitentias ſeu publicas, ſeu priuatas imponere debeat.

FINIS.

INDEX EORVM, QVAE VLTRA PROpoſita in argumento, ſparſim in confeſsionis opere enarrantur.

Abraham quo modo fuerit iuſtificatus. pag. 153.169.177.180.
Abſolutionis nomen. 40.
Abſolui quiſnam debeat, quo ſigno internoſcatur. 133.
Abſolui ſine manus impoſitione neminem poſſe. 140.141.
Abſoluti quinam fuerint ante ſatisfactionem. 150
Aceſius Nouatianus hæreticus. 131.
Adrianus abbas qui miſſus fuit in Angliam. 203
Agnus ab origine mundi quo modo dicatur occiſus. 184.
Ambroſius Mediolanenſis epiſcopus una cum confitente flebat. 78.
Angliæ monaſterium Coludiurbenſe. 61.
Animam perdere & ſaluare, quid ſignificet. 167
Apoſtolis Eccleſiæ claues datas. 70.71. & inde.
Apoſtolorum primus Petrus fuit. 113.
Augendas eſſe fidem, ſpem, caritatem & omnem iuſtitiam. 180.
Baptiſmi uicem fidem in neceſſitate ſupplere. 37
Bedæ pænitentialis liber. 203
Boues duodecim quid ſignificent. 63

Cain peccatum. 130
Caritatem a iuſtitia remouens fidem iugulat. 175.
Caritatem ad ſalutem neceſſariam. 174.175.188. 189.
Carolus Magnus. 159.203
Caſtigari a Deo interdum etiam bonos. 189
Caſtiget quanam ratione nos Deus. 155.162.163. 186.
Cathari Nouatiani cur uocarentur. 132
Chryſoſtomus Nectario ſucceſſit. 97
Chryſoſtomi liber & ſermo de confeſſione, adhuc non impreſſus. 97
Chriſti & Eccleſiæ maxima coniunctio. 181.182.
Chriſtus cur inſufflauerit in apoſtolos. 143
Chriſtum in nobis pati, & nos in illo paſſos quo modo dicatur. 182.183
Chriſtum eſſe ſpem, & ſalutem noſtram. 178
Eius ſatisfactioni noſtras non eſſe contrarias, immo ab ea prodire. 177. 181. 183. 184.
hæreticos non catholicos ea abuti. 146
Cicatrices in Dauid quid fuerint. 151
Cinis cur fidelium capitibus imponatur. 81
Clauis Dauid. 112
Clauis ligaminis cur inſtituta. 134.161
Claues Eccleſiæ quæ. 111
Columnæ ſeptem, ſeptem ſunt ſacramenta. 146
Comedere quod erat pro peccato quid ſignificet. 49
Concupiſcentia quo modo ſit peccatum. 90
Confeſſio duplicem habet ſignificationem. 39

Diuidi non debet. 100. *Eam audiens interdum ad peccandum tentatur.* 63. *Auricularis cur dicatur.* 98.
Compunctio cordis. 34. 35.
Conſcientia. 32.
Conſtantini Magni dictum in Aceſium Nouatianum. 131. 132
Contritio quid & qualis ſit. 30. 31. *& inde. Quando ſufficiat.* 38. 57
Corinthius inceſtuoſus cur ſathanæ traditus. 133. 134. 160.
Cornelius centurio, & eius eleemoſynæ. 163.
Crucem nobis quoque ſumendam eſſe. 167
Dagobertus Rex. 203
Dauid quando, & quo modo abſolutus. 133
Deus neminem ad malum tentat. 104
Eccleſia inſtar regni, & cæleſtis hierarchiæ eſt. non reip. 112. 113. *Eius poteſtas eadem eſt, quæ fuit apoſtolorum.* 70
Eleemoſynæ bonum. 163. 165
Epiſcopi apoſtolicò gradui ſuccedunt. 72. *Mites et pij eſſe debent.* 63. *Eorum ſententia etiam iniuſta timenda eſt.* 43. 137. *Eorum ſedes cur excelſæ in eccleſijs ſint.* 43
Erubeſcentia, & eius bonum. 32. 59
Ἐξομολόγησις. 39
Euchariſtiæ ſacramentum cur inſtitutum, & quo modo mali eo abutuntur. 147
Excommunicari pro delicto unius tota domus non debet.

debet. 147.148

Fidei quæſtiones, & maiores cauſas ad Papam ueluti ad ſupremum iudicem deferri. 112

Fidem ſine operibus mortuam eſſe. 156.157.166 169.171.173. 174.188.189. *Et ſine caritate non prodeſſe.* 174. *Ea qua iuſtificamur quodnam habeat opus.* 174. *Iuſtitiæ & meriti origo fides eſt.* 166.167.

Fomes carnis ad probationem, & meritum relictus. 161

Gratia ſine operibus uacua, & inanis dicitur. 188

Gregorius Neocæſarienſis θαυματουργὸς *dictus.* 69

Hymenæus, & Alexander cur non fuerint abſoluti. 135

Iacobi locum ultra Theophylactum de confeſſione ſacramentali intelligit Origenes, Theodorus, et Hugo. 72.51.88

Ieiunij uis. 165

Infidelibus principibus ſubditi fideles quæ præſtare debeant. 194.195.

Infirmus omnis abſoluendus. 83. *ſed qua olim condicione abſolueretur.* 82

Iudæorum peccatum quodnam fuerit. 130.

Iuſtitia in nobis nō eſt imputatiue tantū. 170.180

Iuſtitiæ omnis initium a fide eſt. 167

Iuſtificatio Abrahæ apud Paulum, & Iacobum quo modo intelligatur, ne uideantur contradicere. 198

Iuſtum ex fide uiuere, quo modo intelligatur. 174

Lacry-

Lacrymarum uis. 34

Laicos nullā habere poteſtatem clauiū. 70. 71. 76

Latrones, & prædones recipi ad pænitentiam. 133

Lazarus ſuſcitatus a Chriſto, & ſolutus ab apoſtolis peccatorē per ſacerdotes abſolutum ſignificat. 120. & inde.

Leuitarum urbes pro homicidis non uoluntarijs. 60

Lex Moyſi quomodo iuſtificaret. 197. *Quomodo facta eſſet ad mortem.* 247. *Eius officium.* 197

Libellis quæ olim alicubi agebatur confeſſio reprehenditur. 96

Liberum arbitriū. 104. 170. 174. 177. 178. 179

Libertas quam habemus a Chriſto, qualis ſit. 193. 194.

Linteum, quo Chriſtus terſit pedes apoſtolorum, quid ſignificet. 165. & inde.

Lutherani falſo ſe gratiæ defenſores iactant, cum illam uerius impugnent. 145. 146. *Iudæos in quo imitentur.* 192

Manus impoſitio pro confeſſione ſumitur. 41

Marcus hæreticus. 92. 93.

Marci abbatis liber de pænitentia nondum impreſſus. 103

Mare æneum quid ſignificet. 63

Maria Magdalena quo modo abſoluta. 133

Matrimonium qua ratione ſit ſacramentum. 181

Merces operum defenditur. 175. 176. 177. 201.

Meritum operum, & eius origo. 166. 174. 176.

Μετάνοια. 31

Mi-

Miſericors magis quàm ſeuerus paſtor eſſe debet. 79.
Monachi prælatis ſuis exhomologeſin facere debent. 86
Mortui tres a Chriſto ſuſcitati quid ſignificent. 119
Natalis epiſcopus hæreticus quo modo egit pænitentiam. 91
Nectarius non remouit confeſſionem, ſed pænitentiæ genus. 97.
Nouatiani & eorum hæreſis. 43.44.117.130.131.132.
Operá ante fidem de congruo prodeſſe. 163
Opera ante fidem, non quæ ſunt poſt fidem, reijci a iuſtitia. 166.167.169.171.176.199.200.
Opera noſtra quo modo digna ſint uita æterna. 168.
Opera poſt fidem neceſſaria. 172.173.199.200
Opera conſeruare, explere, & augere iuſtificationem. 173
Opera, & ſatisfactiones tollentes, Chriſtum auferunt. 179
Pecunia pro peccato, & pro delicto, cur eſſet ſacerdotum. 73
Peccatum ægritudinem, & mortem gignere. 51
Peccata leuia multa habent remedia. 52.87.88
Peccata leuia confiteri quis an teneatur. 87.89
Peccato uulgato compelli quis ad pænitentiam poteſt. 52.54.55
Peccata ad epiſcopũ deferũtur, ſi nota ſunt. 93.94
Peccata extra Eccleſiam non remittũtur. 67.115

Non

Non imputátur ubi non eſt lex, neq; uoluntas. 79.80. *In confeſſione omnia dicenda.* 98. 99. *Speciatim narranda.* 100. 101. *Et cum cauſis, & circumſtantijs.* 103. *Illis in confeſſione dimiſſis, reliquias quaſdam, ſeu diſpoſitiones ad malum ſupereſſet.* 151. 163. *Cur poſt dimiſſionem habere dicantur metum.* 165. *Quo modo ea quæ perpetrata ſunt ante fidem, ab ijs quæ poſt fidem ſunt diſtinguat Eccleſia.* 149

Peccatū quod uocatur ad mortem, quodnā ſit. 131 *Et quod ſit peccatum in ſpiritum ſanctum irremiſſibile.* 129.130

Peccator cur animo, ac uultu deficiat. 33

Peccator accuſare ſe ipſum debet, non aliquem. 104

Peccator a Deo ſuſcitatur, a ſacerdote uero Dei uice abſoluitur. 119. *& inde.*

Pænitentia publica, uel ſecreta. 139. *Eius tempora cur ab Eccleſia conſtituta ſint.* 67. *Quando agatur.* 56. *Vtrum de minimis etiam agatur.* 65. 66. *An quæ ſit in extremo uitæ ſit ſecura.* 83. 84. *Eius nomine non intelligitur nuda tantum cordis conuerſio, ut hæretici aiunt.* 154. *Eam ſacramentum eſſe probatur.* 143. 144. *Et magna cum obſeruatione a Chriſto inſtitutam.* 143. *Eam explere non ualens quid agere debeat.* 203

Pænitentes publici ubi abſoluerentur. 94

Pænitentiales libri. 203

Panis unus ſacramentum eſt unitatis. 117

Papa

Papa primus & Maximus omnium epiſcoporum. 112.
Parochiæ alterius hominem an quis abſoluere poſſit. 85.
Pauli locus, de lignis, feno, & ſtipula exponitur. 156
Petro, & per Petrum Eccleſiæ claues datas. 69. 70.113.114.141.
Petrum uti primam Eccleſiæ petram e fundamento tollentes, omnem diruunt Eccleſiam. 146
Petrus per pœnitentiam rediјt. 49.50
Philippus primus inter imperatores Chriſtianus, exhomologeſin criminum, & pœnitentiam egit. 66.
Purgatorium. 124.156.204
Quadrageſimæ die primo pœnitentia imponebatur. 81. *propterea nũc cinis capitibus imponitur.ibid.*
Reconciliatio. 40. *Eius dies.* 82
Sacerdotes ueteres probabant tantum homines, non mundabant a lepra. 46. *Noſtri longe eos ſuperant, quia non probant tantum, ſed abſoluũt etiam a peccatis.* 45.71. *Vice Dei audiunt peccata.* 108. *Propterea mali æquæ ut boni abſoluunt.* 126. *& inde. Eorum abſolutio quid præſtet.* 124. *Nemini pœnitentiam negare debent.* 82. *Quales eſſe debent ij qui audiunt confeſſiones.* 77.78. *Pœna reuelantium peccata.* 110
Sacramenta conferunt, non offuſcant gratiam Dei, ut

INDEX.

ut falſo cauillantur hæretici. 145. *In uetere lege ſignificabant tantum gratiam, non continebant*. 125. *Materiæ ſacramentorũ quæ*. 124. *Eorum omnium formæ cur uerbo perficiantur*. 145.

Symoniacum eſt pro re aliqua notum non deferre crimen. 93. 94

Spes. 175

Spiritus in homine quid: 32

Spiritus ſanctus procedit etiam a filio. 144

Theodorus archiepiſcopus Cantuarienſis. 203

Theodoſij Imperatoris pænitentia. 52. 54

Tribulationes fidelibus neceſſarias. 155. 156. 157. 186.

Verbo cur omnium ſacramentorum formæ perficiantur. 145

Viaticum nulli in morte negandum. 107

Vitis et palmitis ſimilitudo exponitur. 187. *et inde*

Zachei ſatisfactio. 152

FINIS.

Errata.

Pag. 36. Verſ. 7. exclamat; lege,exclamet. 43.1.ſedes apoſtolorum; ſedes epiſcoporum. 46. merito ergo Dauid remitti ſibi poſtulat quod ſciebat non eſſe iis qui ſecundum Aaron erant, ſacerdotibus attributum,ſed euangelio reſeruatum.cui ergo. 65. 5. manus; manu. 76. 22. qualis; qualis qualis. 77. 8. recipiemus; reſpiciemus. 88. 7. prælaco; prælato. 93. 26. deferebat; deferebant. 96. 4. propoſitus; propoſitis. 99.21. inſtruendusque; inſtruendus. 112. 23. cauſa; cauſæ. 115.8. doctore;doctori. 117. 18. multis;multi. 126.in marg. Matth.12; 21. 133.10. primus; prius.156. 14. ſic audis; hic audis. 168. in marg. 1. ſecunda; 1. ſecundæ. 169. in marg.c.16.& 12; 16.& 21. 178.17. & ita;ita et. 180.1. mundana eſt,terrena; mundana eſt, & terrena. 190. in marg.Iac.251; Ioan. 15. 193.in marg. Aug.de ciuit. Dei lib. 21. c.27. & ſer. 50. c. 66. 195..28. Et ut te; & tu ut te. 205. 21. reuclandum; reuelandum &

Series chartarum.

A B C D E F G H I K L
M N O P Q.